D. NIC. HIER. GVNDLINGII,

IVRISCONSVLTI CELEBERRIMI,


QVAESTIO IVRIDICA,

AN

NOBILITET VENTER?

VVLGO

Vom Kunckel-Schleyer- und Weiber-Adel.




Nazionale V. E. III NAPOLI

HALAE MAGDEB. SVMTV HENDELIANO, 1745. (12)

Digitized by Google

Digitized by Google



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

PROOEMIVM.

§. I. II. III. IV. *Thema, methodum, definitionem ventris & nobilitatis continet.*

CAPVT I.

DE NOBILITATE ROMANORVM.

§. I. II. *Apud Romanos nobilitas stirpis distinguenda est a nobilitate honorum.* §. III. *Romulus patres, seu patricios instituit.* §. IV. *Cur dicti patricii? Patricii maiorum minorumue gentium.* §. V. *Claritas & antiquitas generis differebant.* §. VI. *Plebeiae familiae admissae ad honores: vnde nobilitatis noua facies.* §. VII. *Nobilis vnde? Quinam gesti Magistratus nobilitatem pepererint?* §. VIII. *Homines veteres, & noui.*

)(2

noui. Nobilitas maior, minorue. §. IX. *Stirpe antiqua ortos Romani non etiam appellabant nobiles.* §. X. *Quamuis auctores classici non semper loquantur accurate. Quid patriciæ gentis nobilis?* §. XI. *Ordo equestris: eius dignitas. Equitum differentia. Equites splendidi, magni.* §. XII. *Plebis definitio ab Atteio Capitone structa defensa ac a liberata Lipsii obiectionibus. Varia de Romana nobilitate & equestri ordine distinctius, atque vulgo fit, proposita.* §. XIII. *Et exemplis illustrata.* §. XIV. *Disquisitio de adscititia Romanorum nobilitate.* §. XV. *Nobilitas imaginum, seu honorum neque lege neque senatus consulto, neque rescripto poterat acquiri.* §. XVI. *Quid sit apud Ciceronem* beneficio Quiritium imagines familiæ consequi? §. XVII. *Nobilitas stirpis priuilegio sæpe dabatur.* §. XVIII. *Etiam feminis nobilitatis iura.* §. XIX. *Patricia dignitas collata Theodoræ Augustæ.* §. XX. *Quin Imperatores abiectissimis feminis interdum nobilitatis ornamenta permittebant.* §. XXI. *Explicatur lex 4. ff.* de iure aureorum annulorum. *Annulus non semper erat insigne nobilitatis.* *παρoράματα in explicatione huius legis Virorum doctorum Pancirollus laudatur.*

CAP. II.

DE
NOBILITATE GERMANORVM.

§. I. *Germanorum ordinis Nobilitatis. Quid sit Tacito princeps?* §. II. *Saxonum ordinis non differunt ab ordinibus, quos signat Tacitus. Hertii dissensus.* §. III. Lassi *apud Nithardum quid? vocabuli huius etymologia. Varia de vocibus:* Laudemium, Loß, Lot, Losung. §. IV. *Lassi seruiles. Nithardus, Eginhardus, Adamus Bremensis conspirant cum Tacito, neque hic*

Digitized by Google

hic contrarius est illis. De Francorum nobilium ordinibus. H. Valesii & Hertii opinio sub examen reuocata. Illustris Thomasius defensus. §. V. *Domini, Drudi, Barones ordine ab ingenuis & caballariis diuersi. Druthin. Drothning.* §. VI. *Quod testimoniis probatur. Farones, Barones quid?* §. VII. *Vertatus laudatur.* §. VIII. *Nobilitas imaginum Francis Germanisque incognita.* §. IX. *Ad munera regni publica domini perueniebant: ingenui seruitiis bellicis destinabantur: vniuersi interea milites.* §. X. *Sacerdotum nobilitas.* §. XI. *Cur nobiles delecti? Pontificis Romani insidiae.* §. XII. *Qua ratione iis obuiam itum? Difficultas probandi auos proauosque.* §. XIII. *Langobardorum nobilitas minus tersa.* §. XIV. *Vasallorum ordines apud Langobardos explicati noua ratione.* §. XV. *Nobilitatis Germanicae purioris decrementum, eiusque caussa.* §. XVI. *Cautiones veterum nobilium contra nouos.* §. XVII. *Diplomatica nobilitas.*

CAP. III.

COMPARATIO ROMANI GERMANICIQVE IVRIS RESPECTV NOBILITATIS MATERNAE, SEV QVAE EST A VENTRE.

§. I. *Comparatio generalis nobilitatis Romanae & Germanicae.* §. II. *Romani cauebant in aristocratia, nec promiscua patriciis plebeiisque forent matrimonia. Hinc femina, quae enupsit, omnem dignitatem amittebat.* §. III. *Canuleius Tribunus plebis contraria rogatione tollebat legem Decem virorum. Vnde variae de nobilitate quaestiones enatae.* §. IV. *Hinc patriciae viris plebeiis nuptae non amplius amittebant dignitatem; sed insu-*

 insu-

Digitized by Google

insuper participes fiebant splendoris maritalis. Ara pudicitiæ plebeiæ & patriciæ. §. V. *Cur de materno genere gloriarentur Romani?* §. VI. *Confutatur eorum error, qui Romæ maternum nobilitasse genus sibi persuadent.* §. VII. *Vera caussa, quare a Viris feminæ Romanæ acciperent nobilitatem, eiusque insignia. Domus mariti. Deductio in domum. Scæuola l. 66. ff. 1.* de donat. inter V. & V. *explicatus.* §. VIII. *Vnde Senatorum filiæ & vxores clarissimæ effectæ?* §. IX. *Quomodo itidem hunc titulum honoremque perdiderint?* §. X. *Imperatorum in ferendis legibus de inæqualibus nuptiis inconstantia.* §. X. *Confusio doctorum nobilitatem & ingenuitatem miscentium.* §. XI. *Num soli Senatores clarissimi? Locus Ælii Lampridii expositus.* §. XII. *An equiti nupta manserit clarissima? Martialis epigramma XVII. lib. V. Cistifer quid?* §. XIII. *Denubentes restitutæ nonnunquam in integrum.* §. XIV. XV. XVI. XVII. *Feminarum Iliensium, Delphensium, Ponticarum priuilegia male ad maternam nobilitatem probandam accommodantur: quod copiosius ostenditur. Honores municipiorum etiam a Senatoribus Romanis retenti. Lex 23. ff.* ad Municipalem *in luce constituta.* §. XVIII. *Bartoli & Iasonis error de nobilitate mulierum marito imputanda. Vxores Romanæ non sunt cognominatæ a maritis. Th. Reinesii hallucinatio.* §. XIX. *Vlpiani fragmentum de filiis naturalibus matrem sequentibus.* §. XX. *Patris in connubio prærogativa variis ex caussis.* §. XXI. *In quo naturales liberi sequerentur matrem? Guilielmus Douiatius laudatus. Liberi naturales diu neglecti in Romanorum legibus. Eorum appellatio* πολύσημος. §. XXII. *Ostensum, Vlpianum non loqui de nobilitate sed libertate, ac ingenuitate; non de ciuilibus, sed naturalibus.* §. XXIII. *Nobilitas ad aduentitia & ciuilia, non naturalia pertinet, Franciscus*

ciscus Amaya laudatus. §. XXIV. *Contrariam opinionem Sanchius tuetur: qui confutatur copiose. Inconcinna sententia, feminam nobilem extra matrimonium gignere nobilem. Potius talis femina apud Romanos maculosa fiebat: stuprum in femina nobili punitum. Ea non potuit esse concubina.* §. XXV. *Etiam patriciæ impudicæ infames fiebant, Ciceronis locus lib. III.* de Natura Deorum *cap. 18. de DEa DEum generante expositus. Odium Iustiniani in nothos spuriosque personarum illustrium. Spurii nec agnationem, nec cognationem habebant. Obseruatio singularis de patriciis a plebeio adoptatis; & feminis patriciis propudiose viuentibus.* §. XXVI. *Etiam liberi ab vtroque parente nobili extra matrimonium generati sunt ἀπάτορες. Nec legitimati fiebant nobiles.* §. XXVII. *Sed potest tamen lege ciuili stabiliri, vt ob maternum genus nobiles fiant liberi. Origo opinionis contrariæ.* §. XXVIII. *Germani patria voluerunt esse coniugia. Saxonum acerbitas ab Eginharto animaduersa. Saxonum Respublica olim fere aristocratica.* §. XXIX. *Franci ingenuas mulieres seruis se iungentes seruituti addicebant.* §. XXX. *Allemanni prolem. Longobardi & Burgundi Saxonum seueritatem imitabantur. Quare confutantur negantes, nobilitatem stirpis, qualis Germanorum erat, posse extingui.* §. XXXI. *Matrimonia Germanorum seuera. Vxor ad maritum tota se componebat: ab eo omnia habebat, expectabatque.* §. XXXII. *Campanarum mulierum in Francia priuilegium non probat, ventrem nobilitare. Quando inualuisse credatur?* §. XXXIII. *In reliqua Gallia aliud obtinet: immo Campanorum priuilegium non amplius in vsu est.* §. XXXIV. *Præsumpta opinio de Germanorum vera & naturali nobilitate clare refellitur.* §. XXXV. XXXVI. *Distinctio inter nobilitatem & splendorem nobilitatis denudatur.*

tur. §. XXXVII. *Naturalis nobilitas est incomprehensibilis. Iureconsultorum quorundam error logicus insignis.* § XXXVIII. *Opinio Doctorum de nobilitate stirpis permanente & indelebili inepta, simul ac ridicula.* §. XXXIX. *Eorum repugnantia.* §. XL. *Maternum genus etiam Germani in nobilitate respiciunt.* §. XLI. *Quare hoc fiat, factumque sit?* §. XLII. *Negatur de cetero, maternum genus dimidium nobilitatis efficere.* §. XLIII. XLIV. *Quamvis paterna stirps inde aliquid laudis & gloriae accipiat. Quod exemplis declaratur.* §. XLV. *Contra dicentes pragmaticos insectantur sine caussa; cum ipsis nullo modo faveat vsus.* §. XLVI. *Vxor plebeii mariti conditionem in Germania sequitur; nobilitatemque amittit: ergo plebeios generat, non nobiles.* §. XLVII. *Nobilis feminae spurii viles sunt. Regum filii naturales aliquid praecipui habent. Vera illius rei caussa.* §. XLVIII. *Vtrumque copiosius demonstratur. Spurii in feudis reiecti, & regni publicis muneribus.* §. XLIX. *etiam in feudis femineis atque hereditariis. Occultati. Quare secundae Maximiliani I. nuptiae displicuerint Electoribus aliisque.* §. L. *Num Christus a matre nobilitatem adeptus sit? Exploditur huius argumenti applicatio. Quamobrem feminarum in Iudaeorum genealogiis mentio fiat?* §. LI. *Num imminuatur nobilitas feminae Principis Comiti & Reginae Principi nubentis?* §. LII. *Quod distinctius explicatur. Principum ordo vtrum sit distinctus ab ordine Dominorum? quod negatur, hincque variae quaestiones deciduntur.* §. LIII. *Et inprimis ostenditur, non amittere, aut imminuere tales feminas nobilitatem suam, quamdiu alicui nubunt sui ordini.* §. LIV. *Quod secus, si iungantur Equiti.* §. LV. *An mulier equestris generis doctori, aut nouo nobilitato, aut Ministro in auctoritate constituto sociata denubat?*

PRO-



PROOEMIVM.

§. I.



Oli exiſtimes, nos de nobilitate in genere multa conuaſaturos: deinde de ventre & ratione, ob quam hoc vocabulo ſimus vſi, dicturos plura. Eſt quidem methodus hæc admodum frequens, ſed, noſtro iudicio, nimis proletaria, &, quia alienis locum relinquit, ab ineptia haud procul remota.

§. II.

Tu dic, aut dictum tibi puta, nobilitare nobis ſonare, aliquem participem nobili-

Digitized by Google

tatis efficere, & ventrem ſignificare mulierem ſtilo Iureconſultorum.

§. III.

Nobilitas vero eminentiam ac prærogatiuam perſonalem innuit in ciuitate, quam propterea non definimus abſolute, quia pro arbitrio ſæpe diuitiis, ſæpe fortitudini, raro virtuti & ſapientiæ, ac ſæpe ſæpius denique, neſcio, cui rei ſuperſtruitur.

§. IV.

Quocirca regionis conſuetudinem, Germaniæque potiſſimum, vbi vitam agimus ſumtoque calamo ſcribimus, morem cenſemus circumſpiciendum. Quem finem, vt tanto certius adſequamur, aliqua de Romanorum inſtitutis prætermittenda ſunt, partim, vt falſo tradita perſpicue cognoſcantur, partim, vt confuſionis non ferendæ fons, qua doctorum deciſiones pleræque ſcatent, hac in cauſſa omnibus oſtendatur. Cetera velut a ſcopo noſtro abludentia miſſa facimus.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT I.

DE
ROMANORVM NOBILITATE.

§. I.

IGitur primo loco ea, qua fieri poteſt, breuitate monemus, obſeruaſſe pleroſque, non fuiſſe Romanis nobiles, niſi qui exercuiſſent Magiſtratum, & ab his eſſent prognati, aut cum iis arctiſſime coniuncti. In qua obſeruatione aliquid contineri veritatis, diffitendum non eſt; Sed ſunt tamen addenda luculentiora, non animaduerſa omnibus & intellecta, non etiam rite perpenſa vniuerſis.

§. II.

Diſtinguebant namque initio Romani *ſanguinis* præſtantiam a nobilitate *bonorum.* Illam a patria æſtimabant, & ciuitate cum maxime Romana, quæ omnium erat præſtantiſſima. Quare qui ſtirpem in ea habebant antiquiſſimam, illi ſane cenſebantur præcipui ac primarii. Hinc operæ pretium indagare, quænam in illa ſtirpes antiquiſſimæ?

§. III.

Et notum eſt, Romulum in duas partes vniuerſum populum diſtribuiſſe. Nam qui genere, opibus, potentia, auctoritate plurimum poſſent, rerumque geſtarum gloria excellerent, *eos*, vti Auctor præfationis nobiliſſimus loquitur, quam libello de familiis Romanorum Antonii Auguſtini videmus præmiſſam, *Senatores conſtituit & PATRES honoris atque virtutis cauſſa appellauit, reliquos vero, qui rebus omnibus inferiores eſſent, egentes & inopes, plebeios: illos rempublicam adminiſtrare, magiſtra-*

tus gerere, auſpicia ſacra obire: hos agros colere; & quæſtuoſis artibus operam dare: illos patronos, hoc clientes eſſe voluit. Teſtes ex antiquioribus hic nominare liceret Dionyſium Halicarnaſſeum & Plutarchum, ſcriptores probatæ fidei, ſi foret quiſquam, qui in clariſſima luce hac de re dubitaret.

§. IV.

Patres illi, ſi *Liuio* fides, vocabantur, quod Patrem ciere poſſent; ſi Dionyſio, quod ætate & generis ſplendore cæteris anteirent. Vtrumque noſtræ non obeſt opinioni. Sat eſt, PATRES dictos PATRICIOS, & centum Senatores PATRES. Ab his qui originem duxere, vt Iunii, Valerii, Fabii, *origine* Patricii erant; cæteri, qui vel ab ſubſequentibus Regibus, vel Senatus conſulto, vel lege late deligebantur *cooptatione* tales ſunt effecti. Id exploratum, patricias familias in maiorum & minorum gentium claſſes fuiſſe diſtinctas. Iterum enim Liuius auctor eſt, eos quos Romulus cum ceteris Regibus, vſque ad Tarquinium Priſcum legerant, Patricios maiorum gentium, quos vero Brutus, minorum gentium; ſed Patres tamen, ſeu Patricios (*) *ob ſimilitudinem curæ*, Velleio teſte, appellatos eſſe. Nec male arguunt, qui poſtremis Patrum conſcriptorum nomen indunt, conſcriptorum, inquam, in Senatum nouum: qua de re Feſtus conſulendus in voce *conſcripti.*

§. V.

(*) Sunt, qui maiorum gentium Patricios patres, minorum Patricios appellatos autumat; idque innuere voculam diminuentem; ſed vix eſt, vt ad hanc differentiam veterum attenderit quiſquam.

§. V.

Ex quo prorſus patere arbitor voce nimis præcipiti adſeuerari, Romanos ortum ſanguinis neglexiſſe. Rectius agunt, qui inter *claritatem* & *antiquitatem* aliquid differentiæ conſtituunt. *Antiquitas* ad genus, & ſanguinem pertinet; *claritas* ad geſtos in Republica honores.

§. VI.

Etſi enim reliquæ, præter Patricias, familiæ plebeiæ & abiectæ prima illa ætate erant; poſtea tamen, ubi mutata quadantenus reipublicæ facies, ubi connubia, ſacra auſpicia cum plebeiis ſacratis ſunt communicata legibus, ubi faſces, ſellas curules, triumphos eædem ſunt adeptæ, ubi in adminiſtratæ Reipublicæ gloriam & laudem admiſſæ, multæ ſane ea ratione effectæ ſunt nobiles ac claræ.

§. VII.

Nobilis a noſcendo dicitur, eſtque ea vox τῶν μέσων, ſumiturque in peiorem partem & bonam. Hoc loco nobilis honeſtum continet, honeſtas honores ponit, honores imagines generant, quoque plures & ex conſequenti antiquiores, eo clarior apparebat familia, eo ſpecioſior videbatur nobilitas, ſi in atriis, vbi maiorum erant imagines, longo hæ cenſerentur ordine, & Conſulum, & prætorum oſtenderent vultus, aut etiam Dictatorum, Cenſorum, Triumphalium. Inferiorum etenim, Quæſtorum puta, aut Tribunorum, aut Ædilium, etiam Curulium, in familiæ nobilitate cenſenda vix vllam Romanos habuiſſe rationem iam Henricus Dodwellus (*) animaduertit, niſi qua viam ſternebant ad magiſtratus maiores.

(*) Prælect. III. ad Spartiani Hadrian. p. 201.

§. VIII.

Quibus rite perpensis nullo nunc negotio intelligitur *veterum* & *nouorum* hominum appellatio. Qui enim primi talibus honoribus conuestiebantur, nouorum, & qui ab his prosati *veterum* paullatim nomen consequebantur. Tantum maiorem ad nobilitatem accessionem notes factam, quo plura simul conspicerentur in imaginibus insignia triumphalia, easque familias visas clariores, quæ rebus gestis, victoriis & honoribus essent cumulatiores: vtut Senatores ad vnum omnes, Augusto ordinante, censebantur clarissimi & consueto hoc elogio ornabantur aliquamdiu vniuersi.

§. IX.

Quod in recentiorum libellis confusionem peperit, hoc est. Non animaduertebant illi Patriciorum & Nobilium diuersas distinctasque notas. Quem enim nos vulgo nobilem dicimus, generoso sanguine, veterrimaque prosapia ortum, hunc Quirites proprie non nominabant nobilem, sed Patricium, sicuti nobilitate donatos dicebant traductos, allectos & cooptatos ad Patriciatum. Id dudum Iacobus Curtius *Tom. I. Coniecturarum c. XXIX.* perdocte obseruauit, dignus auctor, qui Iureconsultorum manibus assidue teratur, ne separanda misceant, compingantque in vnum seiuncta.

§. X.

Scio equidem, auctores veteres non adeo fuisse exquisitos, vt eam differentiam obseruarent semper & omni loco. Ipse Liuius *Lib. VI. cap. extr.* pro patriciis sæpe dicit nobilitatem. At loquitur sermone vulgari, & ævo suo recepto. Nam sicuti Nobiles in primariis numerabantur Viris; ita Patricii omnibus anteeundo ple-

Digitized by Google

plebeios longo post se interuallo relinquebant. Solum id obseruabatur discriminis, quod plebeii etiam essent nobiles, nemo autem ex plebe Patricius: quamuis Patricii munerum publicorum caussa atque inprimis Ciceronis æuo, nonnunquam transirent ad plebeios. Vnde in eam opinionem adducor, sequiori ætate aut nobiles patriciæ a nobilibus gentis plebeiæ fuisse discretos, aut nobilitatem, quæ honoribus fulcitur, cum patricia prosapia aliquando inueniri coniunctam. Quod forte eodem recidit. Nam si coniuncta fuit, colligitur certe, fuisse eam per se discretam, quia demum iungebatur. Saltem apud Sallustium *B. I. cap. C.* inuenio *Sullam patricia gentis nobilem:* tametsi non nescio eradi voculam *nobilis* a Criticis quibusdam, maxime cum *Seruius* Grammaticus eam non recitet. Verum tamen memor sum obseruationis Perizonianæ *in animaduersionibus historicis cap. IX. p. 371. Verum enim vero documento,* inquit, *hæc sint, vt sunt clarissima, quam inanis & vana sæpe sit opera eorum, qui in istis Poetarum (adde Historicorum) fragmentis apud GRAMMATICOS hic illic occurrentium, verum semper & integrum eruere conantur sensum; immo quam periculosum sit & aliæ plenum, eum coniecturis & emendationibus velle assequi, quum GRAMMATICI illi frequentissime ex Classicis auctoribus verba adferant non integri, sed abrupti sensus, satis habentes, si eam vocem, vel dictionem exhibeant Lectori, ad quam probandam iis vtuntur, sine respectu sententiæ totius loci.*

§. XI.

Vnum addo de ordine equestri, antequam ad alia transeamus. Equestris quippe ordo medius interponebatur inter Patricios & Plebeios. Qui eques, non statim Patricius, nec qui Plebeius itidem Eques. Sed pote-

Digitized by Google

poterant interea legi ex plebeiis Equites, & ex Equitibus Senatores, si tot haberent sestertium millia, ad pendendum censum, quot requirebant Romana instituta. Nec illis deerat dignitas, vtut gentis erant plebeiæ. Vnde claret, non pertinuisse semper ad ordinem plebeium, qui ex plebe oriunde. Vti plebeii nobiles; ita etiam efficiebantur equites. EQVO donari beneficium erat; sed hoc beneficium ius imaginum nondum dabat; quippe quod a gestis magistratibus maioribus unice pendebat. Quare familia Equestris nondum erat nobilis: quamlibet palam sit, duplex Equitum Romanorum genus fuisse: Vnum, qui a proauis hæredes Equestris ordinis erant: alterum eorum, qui fortunæ seu militiæ munere Equites fiebant. Quam distinctionem ex solo doceri Ouidio Ioannes Massones notauit in *vita Horatii p. 114.* vbi simul monet, priores propterea *Equites ILLVSTRES*, *SPLENDIDOS*, *SPECIOSOS*, *MAGNOS* dictos: an *CELSOS* quoque? dubito.

§. XII.

Ex quo consequitur, vt vera sit definitio Ateii Capitonis apud Gellium *lib. X c. 20.* quam temere sugillauit Lipsius: *Plebs dicitur, in qua gentes ciuium Patriciæ non insunt.* Nam qui Patricii non sunt, plebeii sunt: non autem qui plebeii, aut, si mauis, ex plebe, equites non sunt: aut qui equites, plebs. Nam & Patricii sæpe fiebant equites, nempe, si tantum ipsis non esset in ære, quantum conueniebat Senatoribus. Itaque & Patricii erant Equites & ex plebe oriundi interdum Senatores. Primo quidem soli patricii equites erant & senatores & consules, & magistratus majores. At procedente tempore etiam plebi ad dignitates aditus recludeba-

deba-

debatur. Vnde & in equeſtri ordine plebeii, qui poſt receptionem & translationem in hunc ordinem non amplius pertinebant ad plebeium: eſſent licet ex plebe oriundi, & vel fortunæ munere, vel propriis meritis traducti ad altiores magiſtratuum gradus. Summatim dicam: Nemo patriciorum erat plebeius origine; nemo ex plebe patricius: Multi ex plebe equites: multi ex patriciis equites: qui omnes plebeio ordini, ſellulariis, puta, mercatoribus, opificibusque opponebantur, vtpote in equeſtri ordine conſtituti. Quare diuerſa ſunt, eſſe ex plebe, ſeu plebeium, & plebeii ordinis; eſſe equeſtris ordinis & patricidium. Multi namque erant patricii, nec tamen equites; & multi equites non itidem patricii. Patricii enim dicebantur, qui ex patribus primis & cooptatis oriebantur: plebeii ex his non oriebantur. Igitur vt plebeii non erant patricii; ita equites, prætores & conſules ſæpe plebeii: quamuis poſtremi haud raro eſſent fierentque nobiles; & patricii & plebeii interdum equites, non autem ſimul & eodem modo nobiles. Nobiles enim ius imaginum habebant: imagines magiſtratuum maiorum honores & titulos præponebant: ceteroquin nobiles proprie, vt hæc vox ſequiori æuo adhibebatur, vix erant. At nec equites, nec patricii ad ſummos illos honores adſcendebant ſemper & neceſſario; aut, ſi hoc fiebat, non tamen imagines habebant ſtatim: de quo Noriſius in *Cenotaphiis Piſanis* collegit nonnulla.

§. XIII.

Ne ænigmata nos loqui exiſtimes, ſubiicimus exempla. Mæcenas eques ſplendidus erat; nequaquam vero nobilis, aut patricius: non iſte, quia maiores eius

Digitized by Google

nullo maioris magistratus munere fulgebant: non hic, quia neque ex patribus primis, neque cooptatis descendebat, eiusque stirps inter antiquissimas ciuitatis patriciasque non inueniebatur. Cape amplius. Sulla patriciæ gentis erat; non autem nobilis secundum suæ ætatis stilum, quia Sallustio auctore *Bell. Iugurth. c. 100. familia probe iam extincta ignauia maiorum.* Iam fac, Sullam consecutum equestrem dignitatem; & habebis Equitem patricium. Adde sis C. Marium. Hic patrem habebat nullam. Finge nunc equitem, & erit is ex plebe eques: finge insuper senatorem ac consulem, & nondum euadet nobilis, sed ius ponendæ duntaxat ad posteritatem imaginis indipiscetur: nunquam futurus patricius cum omni posteritate, quoniam gentis patriciæ vetustissima stirps deficit: nisi fortassis ad optimates allegatur tota Marii gens, & ad patriciatus culmen traducatur noua lege, aut instituto.

§. XIV.

Lubens postrema scribo, vt disquirendi nascatur occasio; fueritne adscititia Romanis cognita nobilitas? Video enim hanc rem anxios habuisse nonnullos. Verumtamen si distincte cogitassent de toto nobilitatis apud Quirites filo, si seiunxissent tempora, si formas Reipublicæ diuersas ante oculos sibi constituissent, si patriciam nobilitatem cum nobilitate proprie dicta non commiscuissent, si de Equestri dignitate rite fuissent edocti, sanius certe atque clarius de re, licet abstrusa, & variis difficultatibus obstructa, disseruissent. Neque enim hic Tiraquellus, Christinæus, Noldenus, Mauritius, Bonus Cartilius, Draco, aliique Auctores in scholis noti omne punctum ferunt: conscribillant & colligunt

gunt varia, vt aceruus fiat; ſed doctior inde fere abit nemo; confuſiores omnes.

§. XV.

Quamobrem exploratum & fixum maneat, nobiles habuiſſe & oſtendere debuiſſe imagines maiorum. Sume nunc legem, aut Senatuſconſultum, aut imperiales quoque codicillos, quo pacto hæc omnia dare & largiri potuere Brutorum, Caſſiorum, Catonum imagines, ut collocari iſtæ potuerint in prima ædium parte? Quis eas reputaſſet ſimiles maiorum ſuorum vultibus, cum eſſent imagines aliorum, Virorum vtut clariſſimorum? Tale ius imaginis non toga ſola, non prætexta, non etiam ſella curulis ſola ad memoriam poſteritatemque cum incremento prodendam, non lex, non Senatuſconſultum, nec Principum reſcripta efficere poterant: aliquid hic acceſſiſſe oportebat amplius; altioreſque requirebantur honores, potiora & repetita reipublicæ exigebantur munera: patris, aui, proaui, maiorumque imagines veræ, & gentis & familiæ propriæ, non alienæ, populo erant obiiciendæ. Qui honores vti ſuffragiis populi Romani obtinebantur; ita totius ſummi imperii virtute & auctoritate vel præſtari, vel fingi neutiquam poterat, vt, qui non erant olim ſenatores, conſules, dictatores, cetera, eſſent nunc, aut rectius, fuiſſent conſules & Dictatores. Fictio naturam imitatur: hic nihil occurrit naturale: facta aliena non finguntur, ſed probantur: & hic requiruntur res geſtæ aliorum, pluribus notiſſimæ: vnde talis fictio, quanta quanta eſſet, nil niſi mera repugnantia eſſet.

§. XVI.

Ceterum apud Ciceronem, fateor, occurrit locus-

in Oratione de *Lege agraria II. cap. I.* qui imperitis possit imponere: *Est hoc*, inquit, *in more positum, Quirites, institutoque maiorum, vt ii, qui BENEFICIO vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt, eam primum habeant concionem, qua gratiam BENEFICII vestri cum suorum laude coniungant.* Quid enim est beneficio Quiritium imagines familiæ suæ consequi? Enimuero non hoc adfirmat Tullius, dedisse Quirites ius imaginum illis, qui non haberent, sed suo suffragio magistratus mandasse, qui caussa sunt ponendæ imaginis suæ. Quare consequi imagines familiæ suæ, est, magistratus curules a maioribus suis gestos item capere, quod erat nobilitatis, vt recte ad hunc locum rationes subducit LAVREDANVS siue SIGONIVS. Potius notum est, quam indigne tulerint Romani imagines fingentes, & in laudationibus funebribus falsa de maioribus effutientes. Queri hac de re, hoc est, falsis imaginum titulis aliquoties Liuium Ezechiel Spanhemius, Vir illustris, *dissert. X. de Vsu & Præstant. Numism.* animaduertit inscriptosque id genus familiarum numos, quibus certam vetustas deroget fidem, commemorat. Cui nos addimus Ciceronis testimonium *cap. XVI. in Bruto: Nec habeo*, inquit, *quenquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio de Pyrrho, & nonnullæ mortuorum laudationes forte delectent. Et hercules hæ quidem extant. Ipsæ enim familiæ sua quasi ornamenta ac monumenta seruabant, & ad vsum, si quis eiusdem generis occidisset, & ad memoriam laudum domesticarum & illustrandam nobilitatem suam. Quanquam his laudationibus Historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quæ FACTA NON SVNT, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam*

etiam falsa. Cuius fraudis propterea mentionem iniicimus, vt comperiant dissentientes, quam foret ineptum, publica auctoritate concedere nobilitatem, & fictas largiri imagines, quibus lux veritatis historia suum aliquando necessario amissura esset splendorem.

§. XVII.

At longe aliter iudicandum de nobilitate stirpis. Atque est iam ea de re aliquid indicatum, quando multas ad patriciatum cooptatas & allectas familias scripsimus. Iam vero pro nobis loquatur copiosius, quam supra §. III. laudauimus, erudita præfatio: *Etenim a Pompilio Rege Numa Marcius ascitus in patriciorum numerum est: & Iulii, Quinctilii, Seruilii, Geganii, Curiatii, a Tullo Hostilio: a Ser. Tullo, Octauii Senatusconsulto etiam patriciorum cooptationem fieri solitam, testis est gens Claudia, quam a Senatu, quum ex Sabinis in vrbem migrasset, inter patricios allectam Liuius, Dionysius & Tacitus testantur, lege vero, vt qui lege Iunia a L. Bruto, lege Cassia a Cæsare, & lege Sentia ab Augusto, in patriciorum ordinem lecti sunt.* Scilicet, quæ iuris sunt, facile finguntur. Cum Claudius Cæsar patriciarum familiarum, maiorum more, numerum auxisset, iura patriciorum tribuit nouis, non facta ad eos neutiquam pertinentia: (*) de quo locus *Taciti* memorabilis est *Annal. L. XI. cap. 25. p. 676* *Iisdem diebus*, inquit, *in numerum Patriciorum asciuit Cæsar vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum & L. Brutus minorum*

B 3 *genti-*

(*) Disputatur Iuris auctores multa in contrarium, præcipue Hispani quibus respondit Franciscus Amaya *Comment. ad Lib. X. C. Si seruus aut libertus ad Decurion. adspir. p. 311.*

gentium appellarunt; exhaustis, etiam quas Dictator lege Cassia & Princeps Augustus Lege Brutia sublegere.

§. XVIII.

In quo tamen nondum subsistimus: quandoquidem constat, ipsis etiam feminis consularis coniugii ornamenta ab Imperatoribus esse nonnunquam collata, ita, vt quæ maritos nobilis & consules non habuissent; tamen reputarentur consulares matronæ. Audiamus Lampridium in *Helagabalo cap. VI. Et si vnquam aliqua matrona consularis coniugii ornamentis esset donata; quod veteres Imperatores affinibus detulerant, & his maxime, quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatæ manerent.* Cuius ob priuilegii caussam istæ etiam matronalibus Senatoriarum vxorum decoramentis vtebantur. Nescio igitur, an non huc pertineat *lex 100. ff. de V. S.* quæ Vlpianum auctorem agnoscit: *Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas vtriusque sexus; item earum, quæ ornamentis Senatoriis vtuntur.* Minimum Ioannes Gœddæus, ICtus perdoctus, ea ratione hanc legem παραφράζει. *Huic quæstioni, respondet Vlpianus: Speciosas personas sine sexus differentia dici omnes, quæcunque sunt aut clarissimæ, aut inter clarissimas relatæ; quia Senatoriis vtuntur ornamentis, non quia Senatoriæ sint, sed vt iis ornamentis fas vti sit, ab Imperatore consequebatur.* Quæ autem fuerint illa ornamenta facile foret ad demonstrandum, nisi *Rubenius, Ferrarius, Salmasius* nostram diligentiam anteuertissent.

§. XIX.

Accedit tanquam ad cumulum, ipsum Iustinianum Theodoram coniugem euexisse εἰς τὸ πατρικίων ἀξίωμα tradente Procopio *Arcan. hist. cap. II.* Tametsi enim non ignoro, Patriciatus honorem sub Constantino M. aliam for-

formam accepisse, & Patricios quasi patres Imperatoris dictos ac compellatos; ac proinde ea, quæ de patriciis supra sunt adnotata, ad hoc nouum ordinis genus non pertinere; sufficit tamen, fuisse hunc honorem magnum &, vt Procopius *Lib. II. de Bell. Vandal. cap. VI* vocat, τιμὴν ἀνώτατων, ad quem imperialibus vxorem codicillis sustulerit Imperator. Quæ obseruatio vna cum præcedentibus plene comprobat, veteribus Romanis nec sanguinis, nec imaginum, nec adscititiam & codicillarem etiam nobilitatem, inprimis sub Imperatoribus, vbi turbata & vitiata vetera gentium nomina, vbi adulterata & fere extincta stemmatum series, fuisse incognitam.

§. XX.

Quibus exemplis ne quis obuertat temere, aliud esse ex plebeia facere nobilem, aliud nobili feminæ restituere amissa nobilitatis iura, ecce iterum exemplum & deinde nonnihil etiam rationis. Refert enim *DIO* in *excerptis Peirescianis p. 766.* atque ex eo laudatissimus Ezech. Spanhemius *dissert. XI. de præstantia & vsu Numism.* matrem Hieroclis fœdissimi cuiusdam mancipii militari satellitio in vrbem deductam inter *consularium matronas* habitam fuisse. Credo, permissuros omnes, hanc feminam pertinuisse ad plebeias & abiectas. Neque mihi dubium hæret, quin Cæsares eadem facilitate, qua consularia ornamenta restituebant, aut conseruabant, illa quoque conferre potuerint de nouo. Quid enim sonat, quæso, conseruare, quam, quod concideret alias & vanesceret, firmiter statuere, aut, quod iam amissum, iterum producere de integro? Quare nimium mihi solliciti videntur, qui hic distinguunt, ac nonnihil differentiæ inter *restituere & conferre nobilitatis iura* exsculpere conantur.

§. XXI.

Potius caue facias, quod viri clarissimi fecerunt, & huc temere trahas, quæ de iure aureorum annulorum in legibus veterumque libellis leguntur, aut multum de angas, quomodo *L. 4. ff. de iure aureorum annulorum* exponas congrue. Sane Vlpianus aliud nihil statuit, quam feminas libertas ius aureorum annulorum impetrare posse a Principe, vt ingenuæ habeantur, & sic iura ingenuitatis impetrare; quin natalibus restitui, quod plus est, quia post impetrationem annulorum aureorum saluum in multis patronatus ius mansit; sed quæ vero natalibus restituebantur, ius omnium hominum primitiuum consequebantur, in eum repositæ statum, in quo omnes mortales fuerunt initio. Nemo non videt, perspicue hallucinari omnes, qui ius aureorum annulorum veluti nobilitatis præcipuum δεῖγμα contuentur. Caussa errandi sine dubio fuit, quod cernerent, equites olim, quid? quod nobiles aureos gestasse annulos. At vrbs Romana, Melibœe, non sibi semper erat similis. Quod olim nobilissimis, id Vlpiani ætate omnibus ingenuis tribuebatur. De dignitatibus qui loquuntur, tempora & ætates inprimis circumspiciant, ne senatores, patricios, equites, eodem modulo omnibus sæculis dimetiantur. Hoc perspicacissimus Antonius Vacca *ad tit. ff. de Senatoribus* bene monuit, titulos & honores Senatorum per varia ætatum stadia optime collustrans, hoc I. Gothofredus *ad Cod. Theodosianum* præclare atque iterato animaduertit: vtut alii in hunc scopulum impingentes sine iudicio diuersissima miscent & totam de nobilitate doctrinam misere perturbant. Dissentientes hoc loco Kirchmannus de *annulis* in viam reducat, qui

non

non est sua defraudandus laude auctor. Simili ratione natalibus restitui non exprimit, per sorditiem amissam nobilitatem Principis beneficio recipere. Iam enim verum significatum & sensum dedimus, & dabunt profecto copiosius vulgare ad Digesta commentarii; omniumque bellissime Guido Pancirollus in *Thesauro variarum lectionum lib. I. cap. XV.* vt ne sit necesse amplius, ter labi in hac *lege 4. ff. de Iur. aur. annul.* explicanda ac remouenda: *Etiam feminæ ius annulorum aureorum impetrare possunt & iura ingenuitatis impetrare & natalibus restitui poterunt.* Sed festinamus ad alia, adiicientes interea verba doctissimi Pancirolli: *aureum annulum olim soli Senatores gestare poterant, qui apud extraneum aliquem Regem legatione functi essent, nec illo vbique, sed in publico tantum vtebantur, inde domum reuersi ferreum accipiebant. Procedente vero tempore passim annulum aureum primum omnes Senatores, deinde Equites gestarunt, qui hoc ornamento diu a plebe sunt distincti, vt Plinius & Dion memorant. Postremo ita vulgari cœpit, vt omnes ingenui aureum annulum gestarint. Seruis vero, aut libertinæ conditionis hominibus non est concessus, qui, si hoc argumento usi essent, lege Viscellia grauiter pro facti qualitate puniebantur. Si ergo hoc honore frui volebant, a Cæsare aureorum annulorum, ius impetrabant, quod adepti ingenuorum insignia ferre poterant, & licet vere ingenui non fierent, pro ingenuis tamen habebantur: ad dignitatesque & honores antea ipsis probibitos admittebantur.*

CAP. II.

DE NOBILITATE GERMANORVM.

§. I.

VTi Roma sibi non semper similis extitit; ita nec Germania Romano orbi similis est. Habuerunt

C Teu-

Teutones mei ſeruos, habuerunt nobiles. Nobiles omnes ingenui fuerant, ſed ingenui non nobiles omnes. Saltem Tacitus ingenuos & nobiles de *Moribus Germanorum cap. XXV. ſ. 4.* diſtinguit, & *libertos non multum ſupra ſeruos eſſe* tradit: *raro aliquod momentum domo, niſi ſub Regnis, aut eas inter gentes, quæ regnantur.* Non inficere nobiles primi ordinis Satrapas dixeris, comitibus diuites, clientibus globoque iuuenum circumdatos; & hos forte, recentiori ſtilo, nobiles inferiores: vtut ingenuos omnes nullaque ſeruitutis macula adſperſos. Saltem priores ipſe Tacitus appellat Principes, Principes gentis; quemadmodum reliquos, quo Principe pugnantes, & in ipſius comitatu exiſtentes plebis ac populi nomine percenſet. Sed auertendi iterum oculi ab hodiernis Principibus ſunt, ne, quod iam Grotius in libello ſingulari *de veteri Batauorum Republica* cauendum monuit, pari errore præſentia præteritis, noua antiquis miſceantur.

§. II.

Etſi vero probe cognitum habemus, fuiſſe Germanos in diuerſas gentes diſcretos; deprehenſu tamen facile eſt, parum, nobilitatis reſpectu, inter illos differentiæ obſeruari. Vndique enim optimatum & militum ſeries magna: quod de Allemannis prodit Ammianus Marcellinus *lib. XVI. cap. 12.* Non ex noſtrum, cuncta nunc diſcutere, & determinare accuratius. Id ſcimus, Saxonum ordines differre ab illis, quos indicauit Tacitus, etſi Nithardus Caroli M. nepos *hiſt. Francor. lib. IV.* ſequentia refert: *Gens Saxonum omnes in tribus ordinibus diuiſa conſiſtit: ſunt enim inter illos Edlingi, ſunt qui Frilingi, ſunt qui Lazi illorum lingua dicuntur: Latina vero lingua*

lingua hoc sunt: NOBILES INGENVI, SERVI. Putat equidem sagacissimus Hertius *Not. Vet. Germ. part. III. cap.3.§.9.* confundi a Nithardo libertos & seruos inque simili errore versari Hucbaldum Elnonensem Abbatem in vita B. Lebuini: sed non credo, cæcutire eos, aut labi. Lassi vtrique seruiles sunt: quod declarandum dilucidius.

§. III.

Et hoc enim vocabulum nequaquam descendit a voce **lassen**, vti plerique & præstantissimi quoque auctores existimant, inde sibi manumissos, libertos fingentes. Potius **lazen** & **lösen** mihi perinde habentur. Lassi sunt homines census pendentes, censuales, censiti, vti vulgo loquuntur. In patria mea **Losung** tributi genus est. Apud Heluetios, & inprimis Bernates, vectigalis speciem cognoscimus, quam nominant **lod, lot,** quum venduntur & alienantur prædia rustica; sextaque pars pretii pendenda: quin agri eius generis multis in locis quotannis, aut etiam post triennium, quadrienniumue redimuntur, (**sie müssen gelöset werden**) cum e contrario nobilitate præfulgentes nihil pensitent, & ab omni censu immunes prædicentur. Mitto, qui hac de re dubitant, ad *Iosiæ Simleri, Plantini* & *Staniani* libellos nusquam non obuios. Ipsum autem *laudemii*, seu *leudemii* vocabulum non a *laudando*, quod exponunt firmare, descendit: *Laus*, **Loß, Lot, Leod** eodem numero sunt habenda: *Leodes, Leudes, Liti*, sunt seruiles, censiti, rurales, aut saltem obnoxii. Vnde etiam **Alod**, quod est liberum solutumque a censu & seruitio, latina flexione *allodium* dictum, nobilibus proprium, de quo alibi differemus pluribus: quamlibet olim aliter paululum ac di-

uerſe. Confer, ſi placet, not. Cl. Eccardi ad Monachi Weiſſenburgenſis *Catecheſin Theotiſcam p. 143. ſq.*

§. IV.

Iam cum clariſſimus adfirmat Hertius, libertos videri omiſſos, aut cum Laſſis a Nithardo confuſos, forte nihil eſt. Vtcunque conſideres manumiſſos, libertos, libertinoſque, aliquid ſane ſeruile offenditur. Quamobrem recte *Cornelius* non multum eos ſupra ſeruos eminere teſtatur. Sat enim eſt, non fuiſſe nobiles, non item ingenuos. Quod vero Adamus Bremenſis ex Eginharto quatuor Saxonum gentem differentiis conſiſtere adfirmat, ADELINGIS, FRILINGIS, LIBERTIS & SERVIS Nithardi ſententiam vix ſubruit. Hic enim, quum plus in illis obſequii inueniſſet, quam libertatis ſolidæ atque integræ, non ſane auſus eſt appellare libertos; quemadmodum nec Tacitus ſuſtinuit, libertorum iis tribuere nomen ſine limitatione: Eginhartus autem, & cum eo Bremenſis, qui libertorum Romanorum conditionem non habebant exactiſſime perſpectam, abſolute ea vſi ſunt vocula, quod ſeruis paululum potiores viderentur: quantumuis in ſua poteſtate non eſſent plene, ſed valde obnoxii prioribus dominis, ſeruorum magis, quam liberorum hominum ſpeciem oſtenderent. Ex quo conijci poteſt, Nithardum a Tacito atque Eginharto reapſe vix diſſentire; ſed quos Bremenſis ex eo libertos vocat, fuiſſe ſeruiles, ſeu ſeruos lautiori ratione paruulum, atque abiectiſſimi, viuentes habitosque.

§. V.

Maiori cura digna videtur quæſtio, fuerintne nulli inter Francos, celebratiſſimum Germaniæ populum, nobilium ordinis atque claſſes? numue omne ingenui,

ac

ac solo ætatis pondere & munerum publicorum aucto·ritate duntaxat distincti? Qui hoc statuunt, Hadrianum Valesium cumprimis sectantur, Francos hac in re a reliquis Teutoniæ nationibus separantem. Mihi vero alia sententia sedet; neque illustris Thomasii opinio adeo videtur negligenda atque visa est illa Cl. Hertio, *Notit. Regn. Franc. Vet p. 313.* quando in dissertatione de *Origine Feudorum* Valesii opinionem non sine caussa oppugnat atque reiicit. Qui enim apud alios Germaniæ populos erant *adelingi*, siue *nobiles*, illi Francis sæpe nominantur Barones, Optimates, Drudi, proceres, a militibus & ingenuis non vna ratione differentes. Id quidem verum est, Valesium non abiudicasse Francorum proceribus nobilitatem: hoc ille vtique fatetur, nec inargute Hertius hac in re caussam eius agit. At hoc, hoc quæritur, num Barones, Optimates, *Drudi* & milites pari ambulaverint passu, inque vna, vti fit in Polonia, locati sint classe? De seruis interea nulla controuersia est, eos ab ingenuis omnino vixisse discretos.

§. VI.

Quod me maxime mouet ad contrariam opinionem amplectendam, istud est: memoriæ prodere *Gregorium Turonensem*, Francorum Reges haud raro cum Baronibus & Episcopis suis conuentus & consilia agitasse. Barones autem ad altiorem, atque milites habebant, classem & ordinem pertinuisse, inde potissimum colligitur, quod isti vocantur proceres, primores, Domini; reliqui *caballarii*, equites, ingenui; nec vsquam sane reperitur, ingenuos promiscue ad publicos regni conuentus venisse, & suffragium tulisse. Ne quis dubitet, Dominos appellari nobiliores, is consideret *Druthin*, *Drothin*

significare Dominum. *Dominus cælorum* in veteribus Glossis MS. quibus celeberrimus Eccardus in notis ad *Catechesin Theotiscam* Monachii Weissenburgensis vsus est, vocatur *Himmilo Druthin:* vt alia a Cangio collecta prætermittam. Quando igitur Carolus Caluus in capitularibus *Drudorum* suorum meminit, & Episcopi prouinciarum Rhemensis & Rotomagensis ad Ludouicum Germanicum Regem in *epistola sua cap. IV.* apud Baluzium *Tom. II. p. 104. Drudos* & *Vassos* huius Regis coniungunt, non est sane putandum, eos de ingenuorum classe atque censu fuisse. *Drotning* Suecis nostris etiam nunc est *Regina.* Quare Drudi & Barones ad DOMINORVM curiam recte referuntur, quibus opponi videas nobiles inferiores, hoc est, ingenuos. Ex illis, non autem e postremis ordinarie desumebantur Duces, Marchiones, Comites, proceres, Regis conuiuæ: prorsus vt erant apud Allemannos, qui *regales* & *milites*, quorum ingens copia, sollicite distinguebant. Itaque mirifica interpretatio foret, si quis *episcoporum & primatum consilium*, omnesq; *primates regni consentientes*, illos nempe, qui in translationem regni Austrasiorum, vt est apud Auctorem de *gestis Francorum p 582. 585.* in primum genitum Dagoberti suis suffragiis conspirarunt, globum ingenuorum, equitum, & *caballariorum* diceret.

§. VII.

Vnde merito Hertio postulanti a Thomasio, vt ordinem ingenuorum classe maiorum nominet, reponimus: non esse postulandum, aut quærendum diu, quod ante pedes est. Neque enim is Valesium extra omnem teli iactum ponit, quando Francis eum nobilitatem tribuisse & reliquisse pronunciat. Sit ita: an omnes pari

pari propterea gradu erant? Sin hoc, quid est quæso apud Fortunatum Vatem de quodam Conda canentem ille proficiens gradus?

Iussit & egregios inter residere potentes,
Conuiuam reddens PROFICIENTE GRADV.

Hoc nemo inficiatur, potuisse ingenuos ad maiorem honoris gradum peruenire, & de suo in eminentiorem ordinem inseri: at eo pacto distinctio ordinum palam est; nec in vnum omnes truduntur & concluduntur stabulum. Cui vix obest, gradum honoratiorem non indicare, aut ponere altiorem ordinem, sed publicorum munerum ornamenta, & ætatem annis meritisque grauem non nihil dignationis Francos inter effecisse. Extremum namque iterum impugnabit nemo: quæstio est, quibusnam talia sint concredita munerum honorifica insignia? Ipse Gregorius Turonensis in *vit. Patr. c. IX. ingenuos* distinguit ab illis qui sunt *nobilitate sublimes*, & conuiuæ Domini. Idem eos, qui integris pagis sunt præfecti, *de primo* & *nobiliori* suorum familia sumtos adseuerat: vt Anohaltum taceam, quem anonymus vitæ S. Agili Abbatis scriptor *nobilissimis natalibus oriundum* prædicat, Regis Childeberti conuiuam ac consiliarium. Nec scio, annon huc trahi queat Pauli Warnefridi de *gestis Longobardorum lib. 1. cap. 21.* memorabilis locus: *omnes* autem ADELINGI fuerunt; sic enim apud eos *nobilis* quædam *prosapia* vocatur. Paulus de Francis loquitur, itemque de nobili prosapia. Ne dicas iterato, Valesium non repugnare, tales conuiuas & consiliarios fuisse nobiles, meritis ac virtutis gloria florentes: occurrunt enim hic nobilitate sublimis, nobilissimis natalibus oriundus, oppositus ingenue nato. Ortu vero nobi-

nobilis & meritis ac dignitate nobilis haud dubie differunt. Quamobrem hoc teneamus, ortu nobiles, seu nobilitate sublimes istos esse dictos, quorum maiores multis essent virtutis ac gloriæ documentis noti. Ipse Remigius Clodoueum, ex tali genere & stirpe excellentissima cretum, ante signa ire propterea suosque animare ad fortia facta commemorat. Nec inde tamen consequitur, promiscue admissos omnes ad locum inter summates capessendum, quibus non deerat nobilitatis apex. Lubenter enim permitto, seniorum rationem esse habitam, & clericos laicosque nobiles in maiores minoresque natu videri diuisos: ingenuos autem seniores omnes fuisse *Drudos*, Baronesque credendum non est. Barones quippe viri illustres erant, seniores & iuniores. Ex quo vsu venit, vt quoque procerum primatumque filii Barones appellarentur, sicuti *Atbo* vetus auctor in expositione constitutionum Ottonis Imperatoris dudum vidit. Hic enim procerum filios insigniri Barones tradit; & aliunde, nempe e Turonensi ac Fredegario constat, ipsos optimates & *Drudos* simili elogio fuisse mactos. Quod abunde probat, Baronis seu Faronis (*) nomen prosapiæ antiquioris indicem extitisse: cuius qui essent participes, domini habebantur, vti ceteri *caballoriorum* & *domicellorum, Heringorum* titulis clarebant. Id non nescio, progressu temporis Baronis δᾶγμα stabili magis ratione primo ordini adhæsisse; cum initio

(*) *Farones*, inquit Theodericus Ruinartus in not. ad Fredegarii Scholastici Chronicon p. 621. *dicti sunt, quod e nobili FARA (BARA) editi sint. Fari enim generationes sunt, seu linea, vt habet lex Langobard. lib. III. tit. 14.*

Digitized by Google

initio & apud eos cum maxime, qui ſtili curialis non erant periti, ea vox laxius adhiberetur, & quemcunque haud raro virum ſignaret. Qui mos ſcribendi parum ſane, vel admodum nihil nocebit Baronum prærogatiuis. Perinde enim eſt, ac ſi legas, nobilis inſigniri titulo, qui equites duntaxat ſunt: cum olim non niſi duces, comites id ſibi nominis fere exiſtimauerint proprium.

§. VIII.

Quibus, niſi perſuadeant priora, addas, precor, mirum fore, ſi in hoc ſolum Franci a Germanorum & ciuium ſuorum moribus diſſediſſent, ingenuos videlicet nobilesque in vnam claſſem concludentes; cum in ceteris amiciſſime concordent. Saltem hoc Abbas VERTOTVS peculiari & docta diſſertatione demonſtratum dedit, quam *hiſtoria Academiæ inſcriptionum* nuperrime inſeruit *Bozeus Tom. II.* qui illuſtri huic ſocietati ab epiſtolis eſt; nec deprehendi, aliud eum atque diuerſum de Francorum ordinibus obſeruaſſe. Ruinartus vero in *præfatione* ad Turonenſem haud obſcure innuit; non diſplicere ſibi repugnantem Valeſio ſententiam.

§. IX.

Verum tamen ſat eſt, apparere hinc, ſtirpis nobilitatem apud Teutones omni æuo fuiſſe ſpectatam: nihilque de imaginum iure in noſtro Francorumque regno animaduerti. Nec eſt negandum, magis hoc inſtitutum conuenire ſtatui rei Romanæ, vbi plebs incipiebat aliquando dominari, ſolos ferre patricios dedignata tam honoratos tamque magnos; quam Francorum moribus Regem habentium. Hinc, principibus Romæ ortis & ad culmen potentiæ ſublatis, neceſſario euenit, vt paullatim illa imaginaria nobilitas imminueretur; do-

nec, simulacris liberæ ciuitatis prorsus extinctis, fere euanescerent vniuersa & noua vocabula, noui tituli excogitarentur; patriciusque sanguinis magni inciperet haberi: nemine interea, nisi senatu Romæ agente veteres vmbras fumusasque picturas sectante: cuius me admonuisse rei *Antonium Vaccam* supra iam testatus.

§. X.

Vnde factum, vt in patria nostra nemo ad militiam, nemo ad munera publica adspiraret, vel adspirare posset, præter ingenuos & illustres; quorum hi regni officia cum dignitate coniuncta administrabant, isti seruitiis regno exhibendis operam dabant. Neque enim est demonstrandum multis, quia res nota satis, totam inde nobilitatem in milites maiores & minores esse distributam. Est locus Wipponis ad manus, quem piget nunc quidem exscribere, quum breuiter & stricte exequi omnia sedeat nobis. Illos DOMINOS appellabant &, postquam summos magistratus adepti, PRINCIPES; hos EQVITES, DOMICELLOS & MINISTERIALES regni. Primi per excellentiam nobiles cluebant: quin immo ipse Rex nobilissimus, nobilis audiebat: quia ab hoc fonte in omnes deriuari nobilitas poterat & ipse etiam ex regni nobilissimis solebat deligi: milites interea omnes, Rex, Duces, Palatini, Marchiones, Comites, Domini, Equites, domicelli, famuli. Quo factum, vt tota nobilitas clypeorum notis distingueretur: de quibus clypeis (Heerschilden) nunc non est dicendi locus: quamuis haberem varia lectu non indigna, inprimis de scutorum clypeorumque differentia.

§. XI.

Plus attentionis meretur, nec clericis defuisse stirpem

pem, vtpote in ſpem ſuffragii in publicis imperii conuentibus ferendi erectis. Quare ſapientiores male habuit merito, Ludouicum pium a veteri more deſciſcentem homines caligarios & obſcuros ad ſumma eccleſiæ munera extuliſſe. Thegani locum alibi dedit *Praeſes*, variaque in hanc rem collegit Gundlingianorum *parte XI.*

§. XII.

Cui indignitati vt obſtrueretur via, in multis, ac præcipue maioribus, inualuit eccleſiis, vt recipiendi octo maiorum paria oſtenderent: quorum deficiente vno ferebant repulſam. Rogo te Lector, ne pædagogum & morum cenſorem hoc loco agas faſtidioſum, & humanæ naturæ ſimilem conditionem vrgeas, & vitam fragilem, calamitoſam, variis miſeriis, anxietatibus, lacrymis intermiſtam nobilium Germanorum ſuperbiæ opponas. Quidquid hic factum, ad Romani pontificis eiusque aſſeclarum conatus reprimendos eſt factum, partim, ne externus epiſcopus nobis obtruderet homines abiectos, Romanæ rei ſtudioſiſſimos, peregrinos ac Italos, partim ne imperii conuentus, in quibus a prima regni origine ſacerdotes ſumma auctoritate polluere, nouis & contemptis homuncionibus replerentur, aut etiam ſerui opprimerent nobiles & priores dominos, iſtique vetera odiſſent patriæ inſtituta, & doloſis Papæ conſiliis exequendis auxiliares manus porrigerent. Hic enim vnice id videbatur agere, vt diuitiis Regum, nobiliumque ad ſe tractis, eosdem ſibi ſtipendiarios redderet, & ad paupertatem redactis iterum aliquid æris largiretur, erogandum ab eccleſia; ſicque illi denarios a S. Petro magna reuerentia acciperent, quibus variis arti-

bus, inter ſuperſtitioſa murmura atque imaginariis ignis terrores, ſolerter olim ſunt emuncti.

§. XIII.

Ad quod deuitandum malum aliquid ſane in contrarium erat moliendum ac excogitandum, poſtquam ſemel placuit; vt ſacerdotes in Germania ad ſummam rerum conſilia conferrent ſua, & in Romano imperio cum Rege ac Cæſare, aliisque primariis viris dominarentur. Qua re vſu venit, vt perdifficile ſane eſſet, mentiri nobilitatem, & nouos occultare colores, vbi per tot ætates ac generationes genus foret probandum ampliſſimum. Eſſe enim id arduum perquam, iam A. Perſius Flaccus vidit, Poeta ſeuerus & Stoicæ acerbitatis homo *Sat. VI. v. 7.*

- - Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud prompte, dicam tamen; adde etiam vnum,
Vnum etiam, terræ eſt iam filius.

Atque eo vero pacto & Italis Langobardisque, quorum non eſt terſa adeo nobilitas, feneſtra occludebantur, ne Germanorum bonis fruerentur, & plebeiis quoque aditus videbatur obſtructus, ne in ciuitatem omnium nobiliſſimam ſeruilis ſanguis ſeſe infunderet, & inprimis peregrini homines tyrannica pontificis conſilia cum eminentium virorum damno & interitu promouerent.

§. XIV.

Sicuti vero, quod de Italorum familiis dictum, a veritate alienum non eſt; ita leui negotio probatur. Appoſite enim Guntherus in Ligurino *edit. Reub. p. 305.*

Vtque ſuis omnem depellere finibus hoſtem
Poſſit & armorum patriam virtute tueri,

Quos libet ex humili vulgo, quod GALLIA fœdum
Iudicat, accingi gladio concedit equeſtri.

Per Galliam intelligi Franciam Teutonum nemo ambigit, qui vel Guntherum, vel alios eius generis ſcriptores cum cura legit.

§. XV.

Quamobrem ſemper ſum miratus, voluiſſe Iureconſultos pleroſque nobilitatem Germanicam effingere ad doctrinam, quæ de Vaſallorum ordinibus in feudorum vſibus inuenitur; cum tamen leuis duntaxat ſimilitudo occurrat, multaque in ceteris diſtantia differitaſque, vt cum Lucretio loquar, obſeruetur. Permanauit is, quantum coniicio, error ex ignorantia nominum, quæ ſine veterum annalium fide, ſine inſtrumentorum publicorum ope, ſoli ingenio puerilibuſque opinionibus innixi exponere conantur. Hinc neſciunt prorſus, quomodo Duces, Comites, Barones dicantur CAPITANEI: quid? quod perſuadent ſibi plerique, ferre eos capitaneorum nomen, quod ſint militiæ dediti, plane vt nos hodie Tribunos militum capitaneos appellamus, *(Capitains)* At lepidiſſime falluntur omnes. Capitanei ſunt, qui beneficia ſua teneant *in capite*, vt eſt in conſtitutionibus Siculis, vel a capite, hoc eſt, a Rege, nullo interueniente medio. Ex quo eſt, quod Comites, Barones, Marchiones ſint vtique capitanei, quia Regi ἀμέσως feuda ſua debent: vtut vaſalli interea omnes. Ceteri vero, qui ſunt vaſallorum vaſſi, VALVASSORES audiunt, ſyllabis ad pronunciandum difficilibus eliſis. Hi & dominis ſuis iurabant & Regi, dicti haud raro nobiles atque incolæ oppidi alicuius, caſtelli, ſeu burgi, aliis iterum conferentes manſos fundoſque, vt

Iacobus Sirmondus in not. ad lib. II. Godefridi Vindocinensis permultos iam ante annos docuit. VALVASSINI vero minimi vasalli sunt, quod vocula diminuens clare indicat, qui partim a capitaneis, partim a valuassoribus feuda accipientes sua alios sub se non habebant beneficiarios, quia ipsi erant vasalli minimi, & velut *indiuiduum* in Logica scholastica, sub quo collocari nihil amplius potest: in hoc propterea a valuassoribus iterum diuersi. Experiatur nunc aliquis, vtrum, posita hac explicatione, ad nobilitatem nostratem maiorem, vel minorem rite cognoscendam inde aliquid sperari opis possit? Hoc namque modo etiam nobiles, quos *immediatos* appellamus, capitanei erunt, si quidem nemini, nisi Imperatori imperioque, sint obnoxii. Tota, si qua est, similitudo eo redit, Capitaneos, Valuassores, Valuassinosque omnes esse milites, & valuassores nobilibus mediis, qui sub Ducibus, Marchionibus, Comitibus agunt, quadantenus videri consentaneos: vtut hi apud nos consueta ratione in agris viuunt, illi autem ciuitates incoluere, portas, turres, mœnia custodientes, ne plebs aditum obstruere regibus, aut capitaneos regum vicarios ciuitate excludere insolenter auderet. Valuassini vero tantum abest, vt nobiles & ingenui fuerint omnes; etiam plebeii, quod Francia fœdum existimauerat, magno inter eos numero comparebant. Quæ res efficit, ut frustra egisse credam omnes, qui haustam apud Langobardos doctrinam patriis accommodare moribus, eamque ad nostrorum nobilium contendere ordines fategerunt. Si qui vero sunt, qui de expositione, quam de capitaneis, valuassoribus & valuassinis in medium tulimus, subdubitent, eos ad Petri de Marca *Historiam Bearniæ* item-

Digitized by Google

itemque *Marcam Hispanicam* Vincentiique Borghinii *dissertationes* Italica lingua ſcriptas & Iuſti Fontanini libellum *delle masnate* læti lubentesque ablegamus, vbi probationum copia: quamuis & nos nonnulla reddidimus clariora.

§. XVI.

Ceterum caue perſuadeas tibi, ſic veterem nobilitatem per omnes ætates fuiſſe ſeruatam, nullum vt diſpar genus admiſſum. Conſtat enim, quam ſit illa partim internecinis & domeſticis ſeditionibus, partim externis bellis expeditionibusque in terram ſanctam exhauſta, ita, vt turbidis & afflictis rebus vel pereundum fuiſſet nationi, vel adſumendi ex libertinis, qui adiumento forent reliquis. Atque obſeruat Leibnitius, Vir clariſſimus, *in Præfat. ad Tom. II. R. B.* villicos ſæpe æquis armisque debuiſſe donari, ac donatos reapſe, ne Epiſcopi & Saxoniæ Principes Normannis atque Slauis inprimis impares exiſterent: donec tandem iſtud magnificum nobilitatis nomen in bellis penitus obſoleſceret, incolæ, ciues, agricolæ in equitum turmis promiſcue comparerent, & mercenariæ militiæ late relinqueretur locus: cum antea pauci ſtipendium acciperent, nec plebi, niſi in peditatu merendi copia eſſet. Nec ambigendum, quin Sigismundi Imperatoris æuo, occaſione Huſſiticorum motuum, omnia tandem ſint turbata & permixta: Balbino, Dattio aliisque viris præſtantiſſimis id adnotantibus.

§. XVII.

Ad quod cum accederet Imperatorum & Principum immodica liberalitas ac mercatores reſciſcerent, illuſtre nomen pecunia acquiri, mirum, quam affluxerint homi-

homines obſcuri, & ad altiſſimum, medium infimumque nobilitatis gradum adſpirauerint cateruatim. Quod in cauſſa erat, quare homines antiqua nobilitate ac fide deſpicerent nouos, & omni ſibi conſulerent modo, ne homines heri vel nudius tertius nobilitati initiati & allium atque papauer olentes in eandem ſecum ſocietatem compingerentur. Quod inprimis ſæculo XII. vſu venit, quam ludi ſolennes equeſtres initium caperent, in quibus familiæ claritas, & ſanguinis antiqui gloria omni ſtudio indagabatur; ne, quibus nulla generoſæ guttæ hæreditas, cum iis, quibus amplum iam dignitatis patrimonium, de palma virtutisque bellicæ præmiis certarent. Poſſem hanc in rem, quæ tam Saxonico, quam Allemannico iure ſunt ſtatuta, afferre largiter; niſi ſatis mihi foret, extremis digitis tetigiſſe talia, alio loco ac tempore plenius forte excutienda.

§. XVIII.

Itaque de diplomatica nobilitate ſuperſedeo dicere; cum nemini hæreat dubium, ſub principatu homines eſſe calculis ſimiles, quibus in exponendis rationibus vtimur. Eligunt in excelſo poſiti togatos, doctos, ſacerdotes, ſegregant viros militares, isque nobilis, nobiliorque, nobiliſſimus eſt, quem illi volunt, ſtultus ſit, an ſapiens, virtute præditus, an ſecus: honorant, quem putant honore dignum: Dii illis iudicium dederunt, ceteris obſequii gloria eſt relicta: ſed inualuit tamen, vt diplomate literisque facti nobiles vltimum locum occupent, donec & eorum poſteris ſtemmatum illigatæ texturæ obueniant & noui colores ſitu obſeſſi eum acquirant ſpeciem, ne quis ex ſe natus videatur amplius.

CAP.

CAP. III.

COMPARATIO ROMANI GERMANICIQVE IVRIS RESPECTV NOBILITATIS MATERNAE, SEV QVAE EST A VENTRE.

§. I.

Romanos feminas habuiſſe patricias & nobiles, & principum beneficio nobilitatas, partim extra dubium poſitum, partim a nobis eſt ſufficienter demonſtratum. De Germanis res itidem nota: & vt apud illos equeſtris & ſenatorius ordo diſtincti, itemque dictatoria, cenſoria, conſularis, prætoria nobilitas gradu diſcreta; ita apud hos domini & domicelli, dominæ & domicellæ, dames & demoiſelles, Frauen & Fräulein, Edle Knechte & Edle Mägde ſtirpe nobiles & litteris imperialibus nobilitatæ occurrunt: vtut ratio denominationis, & principia, quibus vtrique ſunt vſi, haud parum videantur diuerſa.

§. II.

Quamdiu enim in Romana republica ἄριστοι rerum potiebantur, ſumma illi ope ſueuerunt niti, ne cum plebeiorum ſanguine miſcerentur patricii. Ipſæ leges XII. Tab. aut potius decemuiri cauebant: *patricii cum plebeiis connubia ne iungunto.* Putabant enim, eius generis commixtionem atque affinitatem tollere exiſtimationem ſuam, vel ſaltem minuere, ſicque copiam non defuturam plebeiis, vt reipublicæ fierent participes. Atque hæc illa eſt colluuio gentium & perturbatio auſpiciorum publicorum priuatorumque, quam patres

apud Liuium *lib. IV. c. 6.* popularia matrimonia pronuntiabant afferre, *ne quid ſinceri, ne quid incontaminati ſit, vt diſcrimine omni ſublato, nec ſe quiſquam, nec ſuos nouerit; quam enim aliam vim connubia promiſcua habere, niſi vt ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis patrumque, vt qui natus ſit ignoret, cuius ſanguinis, quorum ſacrorum ſit, dimidius plebis, ne ſecum quidem ipſe concors?* Eo igitur tempore ratum erat, talem enuptam non poſſe generare patricium, aut itidem patriciam, vtut nuptam viro honeſto & ingenuo; ſed qui tamen patriciæ gentis non eſſet; eoque relinquitur, vt amiſerit illam præſtantiam ſtirpis, nec communicauerit cum marito, nec cum liberis ab eo ortis; ſed vti illa plebeia effecta ſordes contraxerat; ita quod ex illa genitum plebeium videbatur vtique.

§. III.

At cum Canuleius tribunus plebis contraria rogatione, vt eſt itidem apud Liuium *lib. IV. cap. 6.* ſuſtuliſſet iſtam legem, nec, præter patricios, ceteri omnes vulgus eſſent, ſine gratia, ſine auctoritate; & plebs interea adipiſceretur gentem, omniaque quæ erant patriciorum, vt magiſtratus, ſacerdotia, ordines, imperia, triumphos communia acciperent, tum ſane plebeii ducebant patricias, hæque nubebant ſæpe plebeiis, plebeiæque iterum nobilibus ob publicorum munerum adminiſtrationem in auctoritate conſtitutis. Qua occaſione frequenter quæſitum, an plebeia vxor nobilis? an patricii ac ſenatoris filia, vel vxor plebeio copulata nobilitatem amittat? aut an hunc quoque nobilitet?

§. IV.

Et certum eſt, patriciam ſic nuptam plebeio, ſed magi-

magiſtratus inſignibus ornato, non amiſiſſe genus ſuum: faciebat enim curulis mariti honor, vt irrideri a ſui æqualibus nequiret. Nec enim, ſublata hac parte XII. Tab. lege, a boue illa ad aſinos tranſcendebat: quin Stolonis vxor tam erat ſpectata, atque altera ſoror patricii ſanguinis viro Sulpicio iuncta, poſteaquam is, Floro *lib. I. cap. 26.* teſte, honorum magiſtratuumque conſortium, quamuis inuito ſenatui, extorſerat. Non equidem inſcius ſum, etiam poſt iſtam rogationem Canuleii, Virginiam Auli filiam patriciam matronas, quod e patribus enupſiſſet, Volumniumque conſulem, maritum haberet, ſacris arcuiſſe. Sed auctor eſt idem, quem laudauimus, Liuius, *Lib. X cap. 23. gloriatam eam ſe Viri, bonorumue eius ac rerum geſtarum non pœnitere: aramque PVDICITIÆ plebeiæ exſtruiſſe* oppoſitam primum aræ patriciæ, poſtea eodem ritu, atque illa antiquior, cultam. Quo haud dubie dulciſſimus alluſit Propertius lib. II. Eleg. V. v. 17.

Templa pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis,
Si cuius nuptæ quidlibet eſſe licet.

Non inargute coniicit Ianus Brokhuyſen pro *nuptæ* legendum *nurui*, quia nurus poetis omnis mulier dicitur; foretque ſenſus; quid proſunt aræ dicatæ pudicitiæ, ſi cuiuis feminæ, tam patriciæ, quam plebeiæ, quidlibet eſſe liceret, puta, vt vel eſſet caſta, vel impudica.

§. V.

Igitur patricii generis femina nobili elocata, vti ſuum tuebatur generis ſplendorem; ita ſimul nobilitatis particeps fiebat, quam per longam imaginum ſeriem oſtentabat maritus. Atque hinc potiſſimum eſt, quod multi ex primariis viris materno etiam genere, ſiqui-

Digitized by Google

dem ſplendidum illud & illuſtre eſſet, gloriarentur. Ipſe Cæſar, quum auiam haberet Marciam, illius non minus, quam auiti, vel paterni generis mentionem iniicit: *Amitæ*, inquit apud Suetonium *cap. VI. meæ maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus coniunctum eſt: Nam ab Anco Marcio Marcii ſunt Reges, quo nomine fuit mater; a Venere Iulii, cuius gentis familia eſt noſtro. Eſt ergo in genere & ſanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent, & ceremonia deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt reges.* Et adfert Iacobus Perizonius *cap. III. Animaduerſ. hiſtoric. p. 156.* aliquot exempla, in quibus Viri clariſſimi, paternum ac maternum genus coniunxerunt. Nec dubium, quin pari more Galba apud Tacitum *lib. I hiſt. cap. 15.* ad Piſonem, quem adoptauerat: *Tibi inſigne, SVLPICIÆ ac LVTATIÆ decora nobilitati tuæ adieciſſe.*

§. VI.

Quæ res male a nonnullis accepta fecit, vt ſolum maternum nobilitaſſe genus autumarent. Quod non eſt dimittendum ſine cenſura. Quanquam enim Romani oſtentationis gratia auias matresque nominabant earumque ſe genere efferebant aliquando; non eſt tamen credendum, aut dicendum ſtatim, nobilitaſſe ventrem. Neque enim, quum Patricii tenebant primas, hoc fieri potuit; neque, quum Decemuirorum lex ſacrata lege, aut plebis eſt ſublata ſcito. Non primum, quia, quæ enupſit a patribus, non amplius erat patricia; non poſtremum, quia imaginum ius haud quaquam largiebatur matrimonium, ſed geſti honores. Solius vxoris natales nihil efficiebant, quia hæc in Viri domum, ſacra, auſpicia, familiam tranſibat. Si is habebat gentem & plenam imaginibus domum, ac mulier, quæ conueniebat

niebat in manum, non erat ignobilior; ampla ſane oſtentationis aderat materia, & præconii copioſioris occaſio; ſin minus, actum videbatur de nobilitate vxoris, tum ea, quæ eſt ex ſtirpe, tum quæ ex honoribus. Vtrumque Vlpianus clare indicat *l. 8. ff. de Senatoribus: FEMINÆ nuptæ clariſſimis perſonis, clariſſimarum perſonarum appellatione continentur. Clariſſimarum feminarum nomine, ſenatorum filiæ, niſi quæ viros clariſſimos ſortitæ ſunt, non habentur. Feminis enim dignitatem clariſſimam mariti tribuunt: parentes vero, donec plebeii nuptiis fuerint copulatæ. Tamdiu igitur clariſſima femina erit, quamdiu Senatori nupta eſt, vel clariſſimo, aut ſeparata ab eo, alii inferioris dignitatis non nupſit.*

§. VII.

Vera prioris effectus cauſſa non eſt, *quod nulla apud Romanos dignitas vere gentilia:* nam falſum hoc quadantenus, ſi conſideres ariſtocratica rei Romanæ tempora, & patricios patriciasque oculis ac mente complectaris. Id genus mulier etiam ſui cauſſa habebat aliquid præſtantiæ. Quos Romulus aliique legerunt & cooptarunt ad patriciatum, eos cum omni poſteritate, totaque gente & familia cooptarunt; eratque hoc nomen haud vanum nobiliſſimæ ſtirpis indicium, vt recte concludit acutiſſimus Guilielmus Maranus *ad tit. ff. de Senatoribus.* Quare qui rationem cupit ſolidiorem, ſacra communia, & diuini, humanique iuris conſortium, κοινωνίαν παντὸς τοῦ βίου circumſpiciat, quam Caia Caio, acceptam ferebat, non hic ab illa accipiebat. Nam cum ſit *hoc natura commune animantium, vt habeant libidinem procreandi, prima ſocietas* (verba Ciceronis agnoſce *lib. I. de offic. cap. 17.) in ipſo eſt coniugio, proxima in liberis, deinde VNA DOMVS, communia omnia.* Ex quo apparet, poſt in domum dedu-

ctionem vxorem matrisfamilias nomen habuisse, eamque, quæ vocatur, ac laudatur indiuidua vitæ societas, originem sumsisse. Domus vero erat mariti: ad hanc illa transibat cum tota familia, si quam habebat. Atque vnam, *inquit*, Demea Terentianus Adelph. *Act. V. Scen. VI.*

- - - maceriam iube dirui

Quantum potest, hac transfer: vnam fac domum:

Traduce & matrem & familiam omnem ad nos.

Quæ verba tanto libentius excito, quanto mihi constat certius, patefieri hinc, sponsam in nuptiis, quæ solenniter contrahebantur, exspectasse aliquandiu in hortis, separatamque diætam occupasse, donec, diruta maceria, plenis illa passibus in domum mariti transferretur, ac honore maritali aucta ex sperata vxor tandem lectissima fieret. Habet aliquid huius rei simile *l 66 §. 1. ff. de donat. inter V. & Vx.* quæ est Mutii Scæuolæ, obscura plerisque visa, sed ita illustrata a Petro Perrenonio *animaduersionum & variarum lectionum lib. II. cap. 6.* vt se ipsam imposterum vindicet ab emendatione.

§. VIII.

In hanc domum, cum senatorum, quos clarissimorum nomine Octauius Augustus insigniri præcepit, coniuges, deducerentur, cuiuscunque etiam generis essent, clarissimarum personarum appellationem accipiebant: dummodo ne libertinam ducerent, aut cum illa, quæ ipsa, cuiusue parentes ludicram artem fecissent, aut murilegulæ essent, matrimonii fœdus inirent: quod Iustinianus benigniore præcepto, immo iam Iustinus decessor, emolliuit, ac tandem sustulit, luculentius hoc ostendente Præside in *Gundlingianis part. X. dissert. de Contubernio seruorum §. 21.*

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

At quæ ex parentum domo in inferioris conditionis hominis denupſit, ea in feminis clariſſimis amplius numerari non poterat; cum in obſcura domo, vbi nunc ei agendum, nihil clarum inueniatur; æquumque omnino ſit, vt, quæ mulier generis ſplendorem vtilitati ex nuptiis cum plebeio prætulit, ſui etiam mariti conditione teneatur, rationes ſic ſubducentibus Valentiniano & Valente *l. 3. de Murilegulis & Gynaciariis*. Ceterum id monemus non eandem ſemper mentem ſtetiſſe Imperatoribus ſumma imis, atque ima ſummis haud raro miſcentibus, vti elucet ex *lib. X. Cod. Theodoſiani* variisque hanc in rem latis legibus, rationibus ſæpe peculiaribus innitentibus, quas ſigillatim, nec infeliciter euoluit Iacobus Gothofredus, Vir ſummus.

§. X.

Et addimus, nos illa Valentiniani ſenioris ac Valentis lege, ob rationem in ea generatim indicatam, duntaxat vti: quandoquidem ea non agit abſciſſe de feminis nobilibus, ſed ingenuis, quas inter haud exiguam inueniri differentiam etiam dupondiis notum eſt. Cui accedit, *Gynaciarios* mancipiorum genus fuiſſe, legemque Valentiniani haud obſcure Senatus conſultum reſpicere Claudianum, quia denunciationis ſolennis mentionem facit, de qua varia adtulit Præſes *Gundlingianorum l. c.* Ea propter forte Licinius ob Chriſti nomen multos γυναικαίοις ἢ λινυφίοις addixit, memorante Sozomeno *Hiſt. Eccleſ. lib. I. cap. 8.* vt taceam, quæ Cangius in voce *Gynaceum* collegit huc inprimis facientia.

§. XI.

Enim vero illepidum prorſus videtur, corradere

omnia

omnia, quum de nobilitate generis sermo est, quæ de seruis & ingenuis in Digestis, Codice ac Nouellis habentur. Est hæc confusionis prima materia, quam non deuitant, qui rei Romanæ peritia leuiter solum tincti sunt, temulentis similes, qui quoduis stramentum prehendunt, ne cadant, vbi neque pes neque manus officium suum facere amplius potest. Quem in censum Sanchium, Caranzam, Draconem referas cum sexcentis aliis, vtut magnifice buccas inflantibus.

§. XII.

Hoc magis dignum quæri, quid sit Vlpiano *in l. 8. ff. de Senatoribus*, *SENATORI NVPTAM ESSE, VEL CLARISSIMO?* Clarissimus enim & Senator non hic synonima sunt: quippe particula *vel* disiunctionem arguit. Et suboluit nonnihil G. Pancirollo *in variis Lectionibus*. Erant enim Alexandri Seueri ætate, qua vixit Vlpianus, etiam senatores, qui vt præfecti Prætorio; ita simul clarissimi cum aliis maioribus magistratibus appellabantur: quamlibet in senatu non essent, sed, magistratu deposito, ingredi domum consueto senatum more possent. Verum Alexander Seuerus prodente id ad posteritatem Ælio Lampridio *cap. 21.* omnia mutans, *Præfectis prætorio suis senatoriam addidit dignitatem, vt viri clarissimi & essent & dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat: eo vsque, vt si quis Imperatorum successorem præfecto prætorii dare vellet; laticlauiam eidem per libertum submitteret, vt in multorum vita Marius Maximus dixit. Alexander autem idcirco senatores esse voluit præfectos prætorii, ne quis non senator de Romano senatore iudicaret.*

§. XIII.

Quæ igitur feminæ talibus non essent nuptæ, aut, si fuis-

fuissent, ad alium inferioris gradus postea diuerterent, eique connubio iungerentur, nomen sane *clarissimarum* amittebant. Non puto, me erraturum, si dixerim, pro enuptis quoque, seu denuptis habitas, quæ in equestris Viri manus conuenissent: *Equites*, inquit Valentinianus, *Romani, secundum gradum post clarissimatus dignitatem obtinent. l. 1. C. de Equestri dignitate.* Etsi enim non nescio, ante Valentinianum seniorem, tertium gradum equites habuisse, ita vt primi essent senatores, secundi perfectissimi, tertii equites; constat tamen, hunc Principem, dignitatem equestrem senatoriæ, seu clarissimorum iterum proximam fecisse, vti fuit ab antiquo, quæ sub Constantino M. paullatim est deminuto. Demonstrat hoc pluribus Iacobus Gothofredus *lib. VI. C. Th. tit. 36. l. vn.* cuius scrinia non compilamus. Quod nos tuemur, inde palam fit, quod Vlpianus clarissimorum solum mentionem infert, adiecturus sine dubio de equitibus aliquid, si nomen *clarissimarum*, equitum vxores seruassent. Cui opinioni haud parum opitulatur illa apud Martialem Gellia equiti nubere recusans, vtut Poeta salse deridet eam pro more lib. V. epigr. XVII.

Dum proauos, atauosque refers & nomina magna
Dum tibi noster EQVES sordida conditio est:
Dum te posse negas, nisi lato, Gellia, clauo
Nubere: nupsisti, Gellia, *CISTIFERO.*

Quid autem fuerit *cistifer*, apte explicat ad hunc locum Raderus; quamuis antiqui Codices nonnulli *Cistophoro* legant, vt me docuit Hieronymus Bossius Ticinensis *de Senatorum lato clauo syntagmat. XIV.* sed dubito, num sit iusta lectio. Cistophorus nummi genus est, qui pro ectypo habet cistam mysticam, qualem multi olim in Asia

populi signabant. Hadrianus Turnebus aliter; ita dictum nummum opinatus, quia percussus esset forma cistam ferentis, hoc est *cistigeri*. Sed non fit verisimile, ad vnum omnes eius generis nummos periisse: neque enim vllus visitur, aut visus & descriptus inuenitur vsquam. Quam CVPERI, quam adtulimus, coniectura placet *obseru. lib. IV. cap 16.* Vnum locum e Catullo apponimus carm. LXI. v. 259.

Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.

Erant hæ cistæ canistra non magna, capite gestari solita. Quod ἐν παρόδῳ.

§. XIV.

Magis ad scopum nostrum pertinet, nobilitatis, aut gradus vtique iacturam fecisse eiusmodi feminas denubentes in inferiorem familiam, nisi Cæsarum auctoritate, priuilegio, aut codicillis acciperent senatorii ordinis ornamenta. Exempla & leges indicauimus supra cap. I. §. XVIII. vnde hæc exceptio firmatur.

§. XV.

Sed quid audio? *Feminis Iliensibus, Delphis, Ponticis id iure præcipuo indultum, vt liberos suos possent nobilitare. Hoc legem 1. ff. §. 2.* ad municipalem & de incolis *affirmare*, cuius *sit Vlpianus auctor: qui ex duobus igitur*, inquit, *Campanis parentibus natus est, Campanus est. Sed si ex patre Campano, matre Puteolana, æque municeps Campanus est, nisi forte priuilegio aliquo materna origo censeatur: tunc enim maternæ originis erit municeps. Vt puta Iliensibus concessum est, vt qui matre Iliensi est, sit eorum municeps. Etiam Delphis hoc tributum & conseruatum est. Celsus etiam refert, Ponticis ex beneficio Pompeii magni competere, vt qui Pontica matre natus*

esset

esset, Ponticus esset: quod beneficium ad vulgo quæsitos solos pertinere quidam putant: quorum sententiam Celsus non probat: neque enim debuisse caueri, vt vulgo quæsitus matris conditionem sequeretur: quam enim aliam originem hic habet? sed ad eos, qui ex diuersorum ciuitatium parentibus orirentur. At citius in Catilinæ domo M. Tullium, quam hac in lege nobilitantem me inuenturum ac visurum ventrem sperassem. An municipem fieri est nobilem fieri? Qui hic καταχρηστικῶς dicitur municeps, suæ ciuitatis ciuis est. Quare primaria in lege quæstio vertitur: cuius sit municipii ciuis, qui patre ortus Campano, matre aliunde originem trahente? Et patris conditionem spectari Vlpianus respondet: nisi materna origo munita priuilegio, hoc est, nisi ciuitati peculiariter tributum, vt illa haberetur pro ciuitate originaria; etiamsi sola mater ibi est nata atque educta: quales sunt Ilium, Delphi, Pontica. Igitur hoc tantum consequitur, vt is, qui matre natus est Iliensi, sit Iliensis, quantumuis pater foret Campanus. Aliud nihil hac in lege continetur: de nobilitate ne verbulum quidem occurrit; sed soli Doctores, qui, vt multa & varia dixisse videantur, quæstiones hic inconcinnas subnexuere, ac ventis fabriculosæ, quam pragmaticam vocant, scientiæ agitati, de nobilitate matris malæ cohærentia insperserunt: quorum morem, vti facimus flocci, ita etiam eorum consecutiones non existimamus maioris. Dixissent nonnihil, si de dignitate & honoribus gestis in municipiis aliquid adtulissent, vtpote quos etiam Senatores Romani, quid? quod Imperatores retinebant. Ita enim Hermogenianus *l. 23. ff. ad Municipal. Municeps esse desinit, Senatoriam adeptus dignitatem, quantum ad munera, quantum vero ad honorem, retinere creditur.* Sed

vereor, ne hoc paullo sublimius sit, quam vt ab omnibus intelligatur. Et intelligerent vero, si Spartiani Hadrianum *cap. XX* consulerent. *In Hetruria Prætorem Imperator egit; per Latina oppida & Dictator & Ædilis, & Duumuir fuit: apud Neapolitanos Demarchus: in patria sua Quinquennalis, & dein Adriæ Quinquennalis quasi in alia patria.* Itaque Hadrianus Quinquennalis & Ædilis, quamuis Imperator, in patria originaria & naturali mansit: de qua vide sis admodum singularia in excellentissimi Spanhemii *orbe Romano cap. VI.*

§. XVI.

Enim vero, quod in memorata lege Vlpianus notat, neque ad tales honores atque dignitates pertinet; neque ad mulierum nobilitatem. Solum de foro originis sermo est, quod sequuntur liberi Iliensi, Delphica, Pontica matre procreati. Dignitates autem gestique in municipiis honores nullam nobilitatem tribuebant: neque auditum est vnquam, ædilem municipalem, Duumuirum, Decurionem vere nobilem esse reputatum propterea, quod ipse, quod parentes, quod maiores fuerint tali honore in municipio conuestiti.

§. XVII.

Quare ista materna nobilitas, quam hic sibi fingunt Doctores, in auras vanescit. Quod vt liqueat, fac, Senatorem Romanum, vel Consulem habuisse in matrimonio Delphicam, cuius pater fuerit in isto municipio Archon; an filius huius consulis non erit consulis filius, sed Archontis solum nepos? Num matrem sequentur in omnibus, non patrem, qui forte Arpino oriundus, & consul est factus Romæ, quemadmodum euenit Ciceroni? Et non putem, tam aliquem responsurum inficere.

Quem-

Quemobrem relinquitur, vt lex Vlpiani perperam adducatur & adducta sit ad probandum, liberos nobilitari a matre. Id largimur, patriam eos originariam a matre accepisse, si hæc fuit Iliensis, Pontica, Delphica, & Antiochena. Longum vero esset, & a nostro proposito prorsus alienum, si docere vellemus, quare & quo pacto hisce ciuitatibus id sit indultum priuilegii; de quo tamen Cuiacius te docebit in diuinis *obseruationibus*, & Dionysius Gothofredus in not. ad *h. l.* vt silentio inuoluamus Franciscum Amayam pluresque non minoris nominis Iureconsultos.

§. XVIII.

Nos interea firmiter in opinione ac thesi, quam defendimus, persistimus, & ne minimum quidem nobilitatis mulierem adiicere marito suisque liberis confirmamur. Vnde plane ignoramus, quid in mentem venerit lepidissimo Bartolo, quidue somniauerit Iason. ille ad *l si diuortio facto 21 ff. de V.O.* hic ad *l suggest n. 18 C. de V.S.* quando tradunt, maritum plebeii generis, si nobili genere natam duxerit, dotemque sibi, quam nullam acceperit, caueerit numeratam, de dote non numerata, inter tempora præstituta queri, vel excipere non posse. Caussam huius decisionis diuinando adsequi forte poterit nemo: adeo longe quæsita eorum sunt argumenta. Putant enim, induci hic compensationem, maritumque, si nec petat dotem, nec accipiat, nihil ea ratione donaturum coniugi nobili, quippe quæ nouis domum honoribus auxerit, eoque aliquid indulgendum nobilitati, quæ omnia penset: neque idcirco donationem hanc prohibitam videri, quia non fit donatio inter maritum & vxorem, sed licita atque debita cum nobilitate compensatio. Verum hæc

noua ac mirabilis ſane νομοθεσία eſt, Bartolo & Iaſone dignisſima, vt qui in rebus antiquis & ad iurisprudentiam Romanam pertinentibus talpa ſæpe non ſunt oculatiores. Vbi enim didicerunt iſti gloſſarum conditores, feminam mariti domum reddere ſplendidiorem? eique aliquid adferre dignitatis? Vix enim eſt, vt marito glorioſa fuerit vnquam apud Romanos ſolius vxoris nobilitas. Hoc verum, dedecori aliquando mulierem eſſe potuiſſe Viro; ſed non potuit efficere illa vnquam, vt qui non eſſet florenti genere ſatus, vxorio ſplendore tantillum illuſtraretur. Ex quo patet, quam frigidæ & inſulſe peragant nobilitatis Romanæ fabulam cum Iaſone ſuo Bartolus, digni, qui explodantur omnium ſibilis, & expellantur ſolidioris atque elegantioris Iurisprudentiæ theatro, vbi marito domus, ſacra, penates, dignitas tribuuntur; non feminæ, viri radiis nunquam non colluſtrandæ, niſi aut manere in obſcuro, aut imminuta claritate conferre ſe in tenebras abiecte cupiat. Adde, ſi lubet, quæ habet Io. Vaudus *lib. II quæſt. 37*. Et adieciſſem ego Romanorum vxores, vbi in maritorum familias tranſierant, cenſas maritorum gentilitiis nominibus, ſi vera hæc foret Thomæ Reineſii *Synt. Inſcript. p. 42* & probata obſeruatio. Refellitur enim is innumeris mulierum exemplis, gentis ſuæ, non maritorum nomen oſtentantium.

§. XIX.

Atque ita quidem euidentibus ſignis argumentisque eſt oſtenſum, nihil in matrimonio præſidii pro mulieribus offendi, vt hæ vel nobilitent viros, vel fortunæ ſuæ bonis inſignibusq; locupletent liberos: nunc videamus, quid extra matrimonium valeant nobiles feminæ, quidue impertiant ex ſe natis. Triumphum hic canunt,

&

Digitized by Google

& fidentius incedunt, qui nobis contraeunt, ac facultatem nobilitandi matri per leges tributam expellere animo nondum ſunt apti. Igitur Vlpiani philoſophiam iactant; eam ſibi edicunt patrocinari; huic adiiciendum calculum iubent, quando is in fragmentis *tit. V. ſ. 8. Connubio*, inquit, *interueniente liberi patrem ſequuntur: non interueniente connubio matris conditioni accedunt. Excepto eo, qui ex peregrino & ciue Romana peregrinus naſcitur. Quoniam lex Menſia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem ſequi iubet.* Et pareremus edicto, ſi Vlpianus præcepiſſet, quod volunt, nec a peregrino Prætore proficiſceretur, quidquid tuentur ac dicunt. Valde enim timeo, ne iterum a baculo ad angulum argumententur, & libertatis atque ingenuitatis beneficia cum prærogatiuo nobilitatis nomine ſtrenue confundant. Quod vt intelligatur enucleatius, faciendum eſt.

§. XX.

Sicuti enim Vlpianus, ceterorum Iureconſultorum more, naturalia a ciuilibus ſollicite ſeparat; ita is matrimonium ad patriæ & rei Romanæ leges exigit, vtpote in qua potiores ſunt viri partes; cuiusque de conditione ipſa mulier aliquid mutuatur, ac ſibi habere cupit, eiusque ſolem pluuiasque combibit. Quo circa fas etiam eſt, vt, ſtante & interueniente connubio, liberi tam in naturalibus, quam ciuilibus ſequantur patrem, qui eſt caput familiæ, & de quo exiſtimarunt veteres, quod hic ſolus generis auctor ſit, maxime cum Diogenes & Hippon Stoici, vt eſt apud Cenſorinum, ſtatuerent, partum ex ſemine viri ſolum procreari. Vnde ſatis liquet, quare patri certo tantam præcellentiam hac parte tribuerint leges & veteres Conſulti.

§. XXI.

§. XXI.

Verum vbi pater nullus est, aut, quod sensu iuris perinde, incertus, neque is apparet liquido, ibi profecto per rerum naturam fieri non potest, vt ad patrem respiciatur. Quocirca sola mater restabat, quam sequantur liberi; idque Vlpianus *l. 24. ff. de statu hominum* LEGI NATVRÆ adscribit. Cuius rei quæ sit vera & interior caussa, non omnes intelligunt. Ego vero haud temere animum induco, Romanos naturalium liberorum vtilitates in legibus & sanctionibus suis neglexisse: fueruntque illi in ea existimatione, vt quasi diuersi generis aliquid, & prorsus in republica alienum haberentur: adeo nulla eos φιλανθρωπία ante Valentinianum & Constantinum M. nullo fere studio & affectu sunt prosecuti. Saltem Iustinianus id clare Nouella LXXXIX. innuit, neruoseque probat Guilielmus Douiatius, consiliarius in regio Tholosatum Senatu pereruditus, *Enarratione in Responsa Iurisconsultorum naturalia primæ & secundæ partis Digestorum X.* Quod si verum est, nempe, ius ciuile Romanorum naturales liberos antiquitus spreuisse, quid mirum, tradere Vlpianum lege naturæ factum, vt hi matrem sequantur? Non alienum erit hoc loco, expendere naturalium liberorum appellationem, quam apte, ni fallor, euoluit Desiderius Heraldus *rerum & quast. Iuris quotidianarum lib. I. cap. I. n. 2. Naturalium*, inquit, *appellatio est πολύσημος pro diuersis respectibus. Respectu adoptiuorum filii legitimi dicitur naturales, quia sunt φύσει natura, adoptiui autem θέσει, & ex legis solius commento. Natura a legibus temperata, & iis obsequens procreat liberos legitimos. Hominum & legum ingenium liberos adoptiuos. At natura vaga, ac legibus soluta, & libertate sua lasciuiens procreat quidem*

dem liberos, sed quos lex, quandoquidem naturæ solius opus sunt, legum forma non adbibita, naturales tantum appellat. Atque sic liberi naturales sunt non legitimi.

§. XXII.

Iam adſumo magis ſpeciatim: liberi extra matrimonium nati non ſunt legitimi; quia deficit legitima coniunctio, deficit pater: nihil enim hic ciuile eſt; omnia naturalia; igitur ſolum etiam accipiunt naturale. Quid vero hoc eſt, niſi libertas eſt? Seruitus facti habetur, ſiue ſit præſens, ſiue antecedens, ſiue conſequens. Quando itaque matrem ſequi dicuntur naturales & vulgo concepti partique, eiuscemodi factum excluditur; atque interea, quando libera eſt mater, etiam illi ingenui pronunciantur liberique; ſin ſecus, hoc eſt, ſi vel facto ſuo, vel alieno mater eſt ancilla, etiam partus non conſequetur ſtatum, ſed ſeruus erit. Præter hoc nihil extra matrimonium natis tribuit Vlpianus.

§. XXIII.

At tu vero, qui nobis aliisque obſtrepis, non naturale, ſed ciuile, &, quod eſt aduentitium ex lege, iis tribuis, quorum lex primum, & præcipue Vlpiani tempore nondum rationem habuit. Eſt hæc, fateor, interpretatio non vulgaris: ſed permitte nobis, vt nullum Iurisprudentiam Romanam peſtilens magis ſidus afflaſſe ſtatuamus, quam cum propriæ ἐπιλύσεως commenta nobis obtrudunt cruda in forum ſtudia proiicientes. Nobilitatem vero qualitatem eſſe aduentitiam, non a natura hominibus ingenitam, ſed hominum ſcitis inſtitutisque introductam, probatione fere non eget. In ſenſus quippe incurrit, eoque σωματικῶς comprehenditur, atque oculis contrectatur, id eſſe naturale non poſſe, ſine quo

 natu-

natura hominum optime consistit. Est hæc Francisci Amayæ acutissimi Hispani non ingeniosa, sed ad naturalem euidentiam proxime accedens demonstratio.

§. XXIV.

Ast auscultabo tamen hiscentibus erroremque suum opiniose tuentibus. Distingue, aiunt, nobilitatem sanguinis, a nobilitate honorum: finge patriciam, cui in venis natat patricius sanguis, finge natam, natumque ex tali sanguine, an generando mutatur sanguis? an Dea non pariet Deum? an ex nobili sanguine fluet ignobilis sanguis? Enim vero miseret me talium argumentorum: quantumuis repugnantias repugnantiis cumulent. Euge enim, maneamus hic loci paululum; ac me incredulum interea, vti forsitan sueuistis, nominato, donec maius appareat veritatis lumen. Quid est SANCHI? hunc enim barbarum hominem, qui magnum de matrimonio volumen conscribillauit, inprimis oppugnandum sumo: quid est, repeto, sanguinis nobilitas? Quanquam enim non diffiteor, stirpis nobilitatem posse forte appellari nobilitatem sanguinis, non habent tamen dissentientes sat rationis, vt illam pro mere naturali venditent. Quum Romulus aliique patricios fecerunt iisque cum posteris maiorem plebeiis dignationem tribuerunt, caue illam in sanguine latuisse dignationem credas blaterésque. Non est res ista corporalis, quæ tangi possit: fac potius, & festinante licet stilo, incorporalem dic, moralem appella; atque intellectu tantum comprehensibilem statue, quia ciuilis est, quia moralis, quia incorporalis. Et certe silices fuissent Romani, atque obtusi prorsus, si credidissent, patriciam dignitatem propagari quaqua ratione. Propagatur verum est, sed secundum patriæ

triæ honestos mores, secundum statuta ciuitatis, secundum fori ac lecti genialis inuiolabiles leges. Quæ has migraret, ab ara pudicitiæ patriciæ & plebeiæ arcebatur, & extorris quasi agebat, atque ad alium pertinere populum fere credebatur, a legum beneficiis remota, inimica veterum Romanorum sanctitati, hostis pudicitiæ. Si quid retinuit inuerecunda, id non ciuile erat edepol, magnificum, excellens; sed omnibus mortalibus, qua moralibus commune, aut plebeiis quoque facile obtentu. Quod postremum propterea addo, ne nobis decuriones spurios obiiciant, a quorum muneribus ne Iudæos quidem ac Christianos, quos pro vilissimis habuere pagani, excluserant. Nec latere de cetero peritiores potest, seuere animaduertisse Romanos in feminas primarias prostituentes pudorem. Saltem Lipsius ignaros eius rei in *excursu* ad Taciti Annal. *lib. II. cap. 85.* copiosius docebit, non nos, qui in transcursu duntaxat monemus, & dignitatem tales amisisse, & ornamenta, hoc est, institam, stolam, vittas. Et tamen non pudet disquirere, vtrum liberi naturales ac vulgo quæsiti nobiles fuerint, quorum interea matres nobilitatem & omnia eius ornamenta ipso iure factoque perdidere: quod sine dubio *ἄτοπον*. Nec iuuat, etsi meretricem a concubina separari iubent. An enim nobilis femina esse potuit concubina? Non est mihi Iureconsultorum schola cognita, cuius e gremio talis spargatur doctrina: feminam clarissimam potuisse fieri amicam, qua cum licite viueretur sine solenni deductione in domum, sine testatione & tabulis dotalibus, sine auspicibus & pronubis, sine aquæ & ignis acceptione. Potius exploratum est, stupra matronarum ordinis primi ac secundi ad seruandum publicum decus, non abiisse impunita; cum e

G 2 con-

Digitized by Google

contrario in libertinas, aut quæ erant e plebe, tantum non impune peccaretur; hæcque militia venerea his fere fuerit permiſſa.

§. XXV.

Ac nemo vero induxit animum, ſanguinem patriciæ feminæ, aut cunni albi, vt Horatii verbo vtar, efficere, ne ſit amiſſa dignitas, quam paſſa ſtuprum non ſolum commaculauit, verum etiam non ſine magno gentis ſuæ dedecore extinxit. Ipſa lex Pauli *47 ff. de Ritu Nuptiarum* nullum proſtitutæ ſenatoris filiæ ſeruari honorem adfirmat, quæ tam ſpurcum non eſt aſpernata commercium. Durum equidem hoc cenſet Matthæus Weſenbecius in paratitlis ad *π. de his, qui notantur infamia;* ſed ita ſcripta eſt lex, ita more Romanorum veterrimo fuit, ita Tiberius ac Claudius denuo ſanxerunt. Non legitur apud Suetonium Tacitumque, aliquem tum temporis tantas de illuſtri ſanguine tragœdias excitaſſe; vti nunc excitant plures, qui, quæ loquuntur, neſciunt, ſanguinem crepantes ſine modo, ignari interea, ſe futire ac murmurare cum vulgo, ac, quidquid adiicitur ſanguini, ad commenta ciuitatium & iuris fictiones pertinere, quæ ceſſant iterum atque in auras dilabuntur, cum a ſcopo, quem animo intenderunt Reipublicæ principes, eiusmodi perſonæ, quibus prodeſſe debet fictio, reſiliunt. Quod autem iſti tandem de Dea Deum generante ἀλόγως inſpergunt, e Ciceronis lib. III. cap. 18. *de Natura Deorum* mutuo ſumſerunt, in nouum errorem prolapſi. Audiamus Tullium: *Quorum patres Dii, non erant in Deorum numero? Quid? quorum matres Deæ? opinor etiam magis: Vt enim in iure ciuili, qui eſt matre libera, liber eſt; item iure naturæ, qui Dea matre eſt, Deus ſit neceſſe eſt.* Iam circumſpecie, qui tales ludos facis,

facis, equite non plaudente, vt agnoſcas errorem. An affirmat Cicero, nobilem fieri, quem genuit nobilis mater? Et non putem. Libertas naturæ donum eſt; igitur hanc accipit a matre filius. De Diis eorumque generatione nulla lex eſſe ciuilis poteſt; itaque & Dea Deum gignit. Tu vero perperam nobilitatem ſtirpis tanquam naturale bonum conſideras, quamuis illa vim ſuam decusque a ciuitatis arbitrio ſumat; atque interea cum hiſce cogitatis tanquam cum pila conflictaris ludisque. Vnum adſuo, ne veteres ſolos tam exiſtimes ſeueros, tam graues, ac ſanctos. Ipſe Iuſtinianus Imperator ſpurios illuſtri femina, quæ liberos habet legitimos, procreatos, ab eius ſucceſſione remouet. Eccur? Rationem ipſe *l. 5. C. ad SC. Orphitianum* ſuppeditat: *Quum in mulieribus ingenuis & illuſtribus, quibus caſtitatis obſeruatio præcipuum debitum eſt, nominari ſpurios ſatis iniurioſum, ſatisque acerbum, & noſtris temporibus indignum iudicamus.* Quas hic ingenuas appellat Iuſtinianus, Baſilicorum compilatores εὐγενεῖς vertunt, id eſt nobiles. Quibus præmiſſis, age iterum, ratiocinemur parum per, & ſenſus conſulamus. An, qui nominari non debent, nobiles erunt, nominatiſſimique? Non, inquis, hoc ſenſu; ſed ſanguine nobiles erunt. Sanguine, regero, nobiles ii ſolum dici poſſunt, qui agnationem habent & cognationem nobilem. Spurii vero & nothi nec gentem, nec agnationem habent; quia vel pater neſcitur, vel illum ciere nequeunt certo. Quod ad cognationem, videtur quidem, hac neque nothos neque ſpurios deſtitui: ſed mutabis mentem, verteſque ſtilum, ſi penſitaueris, ſpuriorum originem ex eo tantum die, quo nati ſunt, numerari. Indico legem *9 ff. ad Municipal.* peregrinum hoc videatur vlli. Praeterea non eſt negligen-

 dum,

dum, mulierem familiæ suæ & caput & finem esse. Hoc iterum ex *lege 195. ff. de V. S.* constat. Iam vero, si suæ familiæ caput est mulier, non pertinebit spurius ad aiam, quam matris, cuius hæc caput est, familiam, aut potius cellam; eoque auos maioresque numerare non poterit. Ex quo claret, nec stirpis nobilitatem hæreditare spurium acquirere, quia stirps cum matre hoc loco cum dedecore incipit; nec imaginum ius, quia, quæ amisit maiorum honorem, hunc propagare ad suos non potest: sed veluti extranea merito habetur. Quin immo finge, manere illustrem feminam, quæ deposuit pudorem, in patris familia, quin hoc ad filium, qui, vti vidimus, nominari non debet? Sed non mansit forte ipsamet, quod ad ciuilia adtinet beneficia & ornamenta, in patris familia. Ceterum non abs re erit, obseruare, neque patricios olim perstitisse, neque horum ius atque nomen retinuisse, qui in plebeiam familiam per adoptionem transiuerunt. Quidquid in contrarium inuenitur, id non nisi diu post, sub Imperatoribus, ius originis in honoribus suscipiendis adoptione non mutari statuentibus, inualuit, vt e digestis colligitur *ad Municipalem;* ostenditque Perizonius *differt. de ducenda defuncti fratris vxore p 87.* Igitur colligi multo minus debet, patriciam manere patriciam, quando illa plebeio sese iungit, & spurium retinere splendorem natalium, quo caret exciditque mater venere ac libidine famosa.

§. XXVI.

Sed fac amplius, matrem patremque fuisse nobilem, qui generarunt filium naturalem; forte nec hoc p[illegible]derit tibi: quantumuis sic facias fingasque. Iniustus pater non est sensu iuris pater. Itaque tali modo natus ἀπάτωρ erit: vtut forte certus est pater, atque aliunde de eo constat.

Suffi-

Sufficit, non constare ciuiliter, nec posse eum legitime nominari patrem. Adde, non repugnamus, legitimari filium, liberosque sic genitos quæsitosque, legitimari vel per subsequens matrimonium, vel rescriptum Principis; & nondum tamen habendos, dicendosque nobiles fidenter pronuntiamus. Qui enim legitimus efficitur patri, non generi sic efficitur legitimus. Quod quum ita sit, non acquiret certe legitimatus nobilitatem generis, nec honorum imaginumque societatem: vt qui per totam diffusi familiam sunt, nec ad patrem solum, sed ad familiam indiuidua ratione pertinent; talisque ad summum, si pater magistratus curulis, vnius imaginis homo efficeretur. Itaque quocunque te vertas, ex Romani iuris ratione.

FABIO vel iudice vincam.

Ita transcursu moneo, Fabium hunc Horatianum Iureconsultum fuisse deprehensum in adulterio. ***Deprehendi miserum est:*** ita idem Venusinus *Lib. I. Satyr. II. v. 269.*

§. XXVII.

Quanquam vero in Iustinianeo corpore nihil solidi inuenitur, quod pro ventre nobilitante queat adduci; non tamen incredibile, aut humanam excedere mihi fidem videtur, statuto posse permitti, vel iuberi, vt a matre nobilitas proficiscatur in filium liberosque. Nam etsi Bartolus hoc sibi vna cum Palæotto aliisque innumeris persuadere ausus non est; deprehendi tamen, propterea id iis videri falsum atque incredibile, quod iuris naturalis sit, nobilitatem venire a Patre, paternoque genere: cui etiam obsecundauerint leges Romanæ, quas pro ipsa ratione bene multi haud raro venditant. At valde dubium, immo falsum est, nobilitatis fundamentum iure naturali tanquam tibicine fulciri; cum ea meri arbitrii, & inde varii gene-

Digitized by Google

generis, variisque rationibus ac caussis sit superstructa. Non repetam, apud Xanthios lege fuisse cautum, vt a matribus generis nomen filii sortirentur, non nominabo Locros, non Lycios vniuersos, de quibus Plutarchus, Herodotus, Polybius; quos excerpsit Andreas Tiraquellus Vir diligentissimus; quaque parte eum exscripsere ad vnum fere omnes, qui de nobilitate aliquid sunt commentati. Sat est, per se intelligi, a summa pendere potestate hoc, quidquid est, commentitium: quia non est a natura nobilitas, vtpote quæ omnes homines æquales producit: quin facile foret ostensu, etiam matrimoniorum æqualitatem atque inter contrahentes paritatem lege gentium nequaquam præcipi, sed ab arbitrio imperantium, vtut rationabili, proficisci. Quod si vero quæratur, quid magis congruum atque decens, si sit stabilienda nobilitas; paternumne potius, an maternum respiciendum genus, paullo aliter existimarem definiendum. Nunc disputatur, quid iure fiat, & quid denique factum *cum maxime fit in Germania*, vbi nobilitatem duci a ventre, non sunt nonnulli, qui dicant; plures tamen, qui nobiscum solidioribus moti rationibus tueantur contrarium.

§. XXVIII.

Quare præponimus, antiquissimos Germanos ciues suos certos in ordines distribuisse. De Saxonibus id supra demonstratum dedimus; qui inprimis in coniugiis ineundis ita fuere patrii moris atque ἐυταξίας studiosi, nihil vt in connubiis tolerarent mixturæ. Adamus Bremensis classicus hac de re testis est, nostro commodo, Eginharti arans vitulo: *Id legibus firmatum, vt nulla pars in copulandis coniugiis propriæ sortis terminos transferat: sed nobiles nobilem ducat vxorem, & liber liberam: libertus coniugatur*

tur

Digitized by Google

tur liberta & seruus ancillæ. Si vero quispiam horum sibi non congruentem & genere præstantem duxerit vxorem, cum vita sua damno componat. Ex quo concluditur certo, eo tempore nulli Saxonum venisse in mentem, liberas feminas pro lubitu posse nubere: posteaquam nunc constat, capitali supplicio fuisse subiectas, quæ impari coniugio necterentur. Non est nostrum, differere nunc, fueritne hæc consuetudo nimis acerba? Dependet res tota ab imperantium arbitrio, & pactione ciuitatis; nec credimus, iura reprehendi, qui ordinem semel institutum intento seruare studio satagerunt. Quod si enim Romanis licuit colluuionem coniugiorum prohibere seuere, ne videlicet optimates in contemptum adducerentur; quidni liceret etiam Saxonibus tueri discrimen semel introductum, ac, ne vulgarentur concubitus plebis procerumque, prouidere. Saltem venerabilis Beda ita veterum Saxonum Rempublicam depinxit, prorsus vt appareat summam auctoritatem penes optimates stetisse; quem vt percipiamus, forte interest Lectoris: *Saxones*, inquit lib. I. Hist. eccles. cap. II. *Regem non habent, sed Satrapas plurimos suæ gentis præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter, sortes, & quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur; peracto autem bello rursus æqualis potentiæ fiunt omnes Satropæ.*

§. XXIX.

Etsi vero de Francis antiquis hac in caussa tam luculentum atque egregium testimonium non suppetit, quam de Saxonibus produximus; elucet tamen hinc inde non hos idem promiscuis indulsisse coniugiis. Neque enim lex Salia tantum; verum etiam Caroli M. ac Ludouici Pii temporibus condita Capitularia *mulierem liberam mancipio*

ſeſe iungentem cum omnibus natis Domino addicunt: quod indicio eſt, vehementer Francorum genti impares diſpliciuiſſe nuptias: vtut pœna non erat ab iis tam triſtis atque horrida ſtatuta, atque a Saxonibus, aliisque Germanicis populis, de quibus paulo poſt. A Salica lege in hoc differt Ripuaria, quod Virum quoque ancillam Ripuarii in matrimonium ducentem perpetuo ſeruitutis iugo ſubiiciat.

§. XXX.

Lex Allemannica vero paullo mitior Francorum inſtitutis erat: nec enim hæc liberam Allemannam in familiam domini; ſed genitam duntaxat ab ea prolem transſcribebat: ipſa interea amittente hæreditatem & maculam contrahente ſat grauem. Longobardorum maiores vero Saxonum ſeueritati locum dabant: haud ſecus atque Burgundi, qui nece vindicandas eiusmodi impares nuptias iudicabant. Vnde facile eſt ad concludendum, perperam laborare omnes, qui non extingui feminæ Germanice nobilitatem poſſe ſomniant, quia ſit data ſanguini: ſed ἄτοπα ſeſe loqui & illiberaliter cogitare ipſi demum intelligunt, quando nec ingenuitatem, nec libertatem, nec vitam ſeruaſſe ingenue natas feminas ad ſeruorum contubernia declinantes videbunt. Et quis iam audebit, nobilitatem ſtirpis ita in iis extollere, tamque magnifice de generoſa ſentire radice, vt fructus in alios, maritum puta, liberosque ſpargat ipſa debilitata ac fracta? nec proderit, iniquitatis poſtulare haſce leges antiquas omnes atque iis ſcribere dicam: quandoquidem illi, qui contrarium ſuſtinent, de more Teutonico verba faciunt; qui vero, vti eum depingunt, nuſquam, niſi in opinione commentitia adoptantium inuenitur. Si quid video, non ſane indolem coniugiorum apud maiores noſtros ſatis habent perſpectam.

ſpectam. Quare operæ forte pretium eſſent facturi, ſi Potgieſeri libellum ſingularem *de conditione & ſtatu ſeruorum* euoluerent, qui perdocte varios gentium mores colligit &, quam inique ſemper inæquales illæ nuptias tulerint, copioſe oſtendit.

§. XXXI.

Quod vt quodammodo conſtet, in memoriam vniuerſis Taciti reuocabimus teſtimonium: *Seuera illic matrimonia ſunt.* Nam & maritus ibi primas tenuit, non quidem ob easdem, quas Romani habuere cauſſas, ſed proprias. Sic enim vnum accipiebant feminæ maritum, quomodo vnum corpus vnamque vitam, ac perſonæ, non rei affectum mancipantes, a viro exſpectabant vniuerſa, dotem, honores, bona, lucraque omnia. Quamobrem etſi apud eos tam ſolennis in domum deductio, tot ſacra arcana, tot coniugales Dii, quot apud Latinos non obſeruantur; tamen ex aliis ſignis, nempe ex bubus equisque iunctis, ex laborum periculorumque indiuidua ſocietate tam arcta colligitur coniunctio atque vnitas, vt coniugium coniugis, non coniugem coniugii cauſſa amare viderentur: vti recte Grotius verba Tacita *de M. G. cap. XIX.* interpretatur. Ex quo id patere minimum arbitror, vxores ſemper maritos in oculis tuliſſe, atque ab his fortunæ munera, laudem, gloriam decusque ſperaſſe.

§. XXXII.

Qui aliter, omnia ſubuertunt, mores maiorum informantes, ſubmutantes, nouum iisdem ingenium proprio auſu induentes, turbando vetera, ſubſtituendo noua, ne, quæ figunt refinguntque, cernant, reciſcantque vniuerſi. Ego vero regulæ ac maiorem mori tenacius inſiſto. Quæ enim de Saxonibus adtulimus, Caroli M. ætate apud eos

obtinuisse, Eginharti & Adami Bremensis fide certum est. Nec diuersum de Francis constat, paululum vtut lenioribus in infligendo pœnæ genere. Quod in Campania mores irrepsit, nempe, vt ingenua Campana muliere natus haberetur pro ingenuo id regulam non tam tollit, quam firmat, quia nemo non hoc institutum e priuilegio deriuat, simul atque Galliæ Iureconsulti tempus ac caussam indicant, quare tam abhorrens a prima Francorum lege consuetudo inualuerit. Cui enim ignotum est prælium parricidale commissum ad Fontenetam prope Brittas? quo sicuti flos Franciçæ nobilitatis cecidit; ita tanta inprimis strage affecta est Campaniæ nobilitas, vt vix esset, qui cum honore ferre arma. Eo igitur tempore vsu venisse ad vnum adfirmant omnes, etiam politissimus Gabriel Daniel in luculento patriarum historiarum opere, vt vxor nobilem efficeret maritum, & familiam genere insignem ad posteros continuaret. Quis vero a singulari euentu, priuilegio ac more particulari ad vniuersalem existimaret concludendum, nisi qui mentis deminutionem sit quodammodo passus? Quamobrem ratum maneat, aliam Francis Germanisque sedisse consuetudinem, donec contra veterum instituta producatur nouum, &, quod laudabiliter constitutum, ostendatur dissolutum.

§. XXXIII.

Ad valde vereor, ne nihil sint demonstraturi. Quæ enim hæc consecutio est? adfirmant Dionysius Gothofredus, Petrus Pithœus, Carolus Losæus aliique, Campanos, Trecenses, Senonenses, Caluimontanos liberis matre nobili oriundis tribuere nobilitatis iura; Ergo vniuersa Francia hisce vixit institutis. Putasses sane, qui Trecenses, Senonenses, Caluimontanos recensent, & a Campanis separant,

parant, diuerſos Galliæ populos numeraſſe, vnde poſtea conficiant inductionem concludantque inſolentiſſime: totam Galliam igitur hiſce fere moribus indulgere. At omnes hæ ciuitates Campaniæ ſunt, a quibus ad totam Galliam perperam nectitur conſecutionis filum. Quod de Andegauenſibus adiicitur, vtique falſum eſt, ſi audiamus Ioannem Bodinum, ANDIVM SINE BONO; cui plus hoc loco tribuimus quam Renato Choppino, vt vt rem iudicatam laudanti. Neque enim veriſimile fit, Potinum *lib. I. de Republica* tam acriter inſectaturum fuiſſe nobilitatem a feminis ductam, ſi mos ei patrius contrarium quotidie in aures inſuſuraſſet. Et fac tantiſper, obtinuiſſe hominem ſingularem aut vnius generoſæ feminæ heredes apud Andios fortuito decreto, vt nobilium numero cenſerentur; quis vna volitante hirundine vernum ſeſe tempus inſinuare, aut aperire concluderet? quis ab vna ciuitate, vel municipio ad vniuerſum Galliæ regnum inferret: Sed immo vero probabilius eſt multo, in ceteris Galliæ prouinciis aliam paſſim regnare conſuetudinem, quoniam Iureconſulti Galliæ cum Franciſco Connano ſæpe ſæpius ingeminant: *Male Campani, vicini noſtri, qui nobilitatem etiam a matre ſibi ſumunt, patre licet ignobili:* vt eos inuoluamus ſilentio, qui de vſu vniuerſali etiam in Campania dubitant, huncque morem tantum non per riſum locumque contemnunt; non ita ludificaturi hercle, ſi id gentico fieret more, inque actibus rerum multus atque diſſiduus vſus ſenſus oculosque feriret. Adſcribam magnæ in Galliæ exiſtimationis viri Ioannis Bacquetii *Oper. Tom. II p. 54.* clariſſima verba: *Et pour le jourad'huy on n'a point d'égard aux dites coutumes & tient on pour certain en France, que le ventre annoblit point: tellement qui ſont iſſus de pere roturier &*

de mere noble, sont roturiers, s'ils n'ont obtenu arrest de la Cour des aydes. Erat Bacquetius regii fisci aduocatus, qui fisci, seu domaniorum iura labore non pœnitendo euoluit.

§. XXXIV.

Quibus ita constitutis leuis res erit operæ, dispellere fumos, quos præsumta iterum opinio de vera & in sanguine residente nobilitate propellit foras. Neutiquam enim extra omnem dubitationem constitutum est, nobilitatem viuere & spirare quasi in sanguine: quin hoc primum istud ψεῦδος est, iam confutatum a nobis, quo admisso plura eaque innumera inde pullulantia admittenda sunt falsa. Neque enim tum inepte inferunt: si in sanguine est nobilitas vera, etiam ea propagatur a matre in liberos. Verum obscura quadam idea impediuntur & cruciantur, vt, quid cogitent, vix rescirscant. Nobilitas, repeto, quomodocunque definiatur, prærogatiua est a summa potestate alicui destinata; & quam propagare potest vtique, si secundum patriæ ac summæ potestatis institutum fiat. Propagatio vero legitima non fit ab vna persona, sed binis, sibi paribus, aut saltem sibi non prorsus imparibus. Quæ secus faciunt, ac plebeiæ litantes veneri a regula vsu patrio confirmata desciscunt, vilem edere partum merito censentur. Vt in omnium oculos incurrat absona contrariæ sententiæ illatio, sume, quæso, & nobilissimi generis feminam in vespillonis, aut turpis agitatoris, aut carnificis ruere amplexus tantisper statue, statue eam coniugali pacto firmari amoris sui fatuos ignes: an partum quæso, quia innobilis feminæ vtero est excoctus, obstinate amplius nominabis partum ingenue natum, ac generosæ stirpis consortem? Sin minus, (nam forte ad contemptissimi hominis nomen horrescis) age, descendas in te, relegasque

que inconcinna deamati principii vestigia, & forte non sine lætitia tandem exclamabis: *illucescit.* Et illucescat Tibi adclamabo, illucescat, precabor, veritatis lumen, ne sanguinis imaginaria generositas amplius rationem de statu suo deturbet, ac de corporearum rerum figuris detentum in compita ramosa, & errorum stagna paludesque deducat. Ceterum non nego, potuisse te, antequam in viam a nobis reduceris, proprio addiscere Marte, Germanos nostros eam de nobilitate sanguini ratione indelebili impressa philosophiam nunquam & nusquam esse sectatos; quippe qui admodum seuere statuerunt, vt ingenuæ mulieris e seruo suscepta proles in mancipiis numeraretur, & glebæ dominique sole adscripta ab omni nobilitatis & ingenuitatis lumine inanis maneret: quod propter inueteratam opinationem interato duximus monendum.

§. XXXV.

Cui argumento, haud scio, quid queat opponi, nisi quis cum ineptissimis Iureconsultis, iisque Hispanis, adserere audeat, *nobilitatem* ipsam differre a *splendore nobilitatis.* Hunc enim, aiunt, perdi, si qua mulier generis sui oblita in vilis hominis contemptum sese cubile inferat, nobilitatem non item, vtpote quæ sit naturalis, a maioribus accepta, vetusta & longa possessione munita. Quod quia in antecedentibus plene nondum dispuli faciam, vt nunc discutiantur omnia, quæ caliginem denuo circumfundunt; nudique appareat ineptæ sententiæ basiatores, veluti Æsopi cornicula, aut Platonici hominis implumis forma.

§. XXXVI.

Nobilitatem naturalem dicunt: hic latet fucus. Et supra vero obseruauimus, non sic nobilitatem videri posse naturalem, vt ne abesse ab homine queat. Quare ne

pror-

prorſus habeantur abſurdi,dicant neceſſe eſt,non ſic eam carere initio,vt omnibus mortalibus communis ſit: potius in eam acceſſiſſe olim ſanguini, vt liquefacta & abſorpta vilitate, & populari vulgaritate, commixtio ſit nata, neſcio, quæ? & facultatum ac virtutum omnium indiuidua connexio, ac obliuionem originis plebeiæ inducens vis occulta, hincque incognita latentium opum eleuatio, atque ortus quaſi ſecundus; cumque patibilis ſanguinis natura, neſcio iterum, quæ conuerſio, influxus, incitatio, aſſultus, incurſus & eminentioris virtutis noua conſociatio, ac ſordidarum quarumuis partium adſtrictio, expulſioque, guſtus nouus, odor nulli notus, concentus inauditus, obſcurarumque rerum omnium incredibilis transmutatio & μεταμόρφωσις ſine exemplo euenerit tandem? Quæ & ſimilia verba, ſi quis non intelligat penitus, nec intimis in viſceribus ſentiat, quæ ſibi ingerant Hiſpanicæ ſcholæ Magiſtri diſcipulique, is cogitet, neque Angelis hæc arcana nobilitatis ſacra ſatis eſſe perſpecta, adeoque neminem mortalium pudore debere ſuffundi, ſi ſuam fateri ignorantiam cogatur.

§. XXXVII.

Quod ne fictæ videatur dictum, profiteor ſane, me quoque, quidquid de illa vera & naturali nobilitate magnifice profertur, nec capere, nec, ſi caperem, poſſe enunciare perſpicue: ſat certus ceteroquin, malæ cauſſæ indicium ipſomet prodere, qui, quæ ſcribunt dicuntque, efferre nequeunt, aut ita in luce conſtituere, vt, qui operam impendunt, quo videant, nihil videant, ſed tenebris oppreſſa demum offendant vniuerſa. Atque eius generis eſt iſtud, quod non ſine fructu deteximus, nobilitatis naturalis idolum, quod adorant homines peregrina ſacra curioſe

se sectantes, id facturi minime, si a teneris claris animum perceptionibus adsuefecissent. Quapropter perinde mihi, qui sanguini nobilitatem infarciunt, agere videntur, atque alii simplicioris ingenii homines, qui cum acu punguntur dolorem in acu quærunt, altitudinem monti inesse existimant, doctrinam in cerebelli latebris habitare credunt: helleboro purgandi vtique, ne relationum nomina, & mentis comparationes præcisionesque, ac moralium rerum schemata ipsi materiæ subiecta inhærere amplius somnient. Quod si fecerint, dubium mihi nullum relinquitur, quin etiam, quæ de antiquitate & nobilitatis possessione vane cogitant, non sine veritatis emolumento denique sint animaduersuri. Nam vti illa eminentia & prærogatiuus ordo non est in sanguine; ita etiam antiquitas vix efficiet, vt is aut fluat generosior, limpidiorque, aut nobilitatis fiat plenior. Quidquid hac de re scribitur, dicitur, pronunciatur, extra sanguinis circulum est, & tanquam mera variarum præcisionum, cogitationum & aduentitiorum comparatio erit consideranda, quæ non in rem ipsam maxime cadunt, sed ab animo legislatoris, aut hominum diuersa adiuncta huius, vel illius speciei inter se contendentium facto rei extrinsecus sæpe sæpius adtribuuntur. Quod iis forte satisfaciet, qui in Logicorum scholis non nihil de relationibus percepere olim, aut criticam artem ingeniosissimi Clerici de suo non expulere museo.

§. XXXVIII.

Illud vero, quod de splendore nobilitatis, non nobilitate per impares & abiectas nuptias euanescente inprimis proponitur, magis a ratione videtur alienum, quam sunt priora. Quod exemplis ostendemus primum; rati, tum maxime distinctionum vel vtilitatem, vel inanitatem sen-

 sibus

Digitized by Google

ſibus ſubiici, cum applicantur, & ad rerum actus accommodantur. Quare ſtatuas, virum vel feminam ſtirpe nobilem virgis cædi, aut fuſtibus male mulctari: quid dices ſodes? Tolliturne nobilitatis ſplendor? Ita eſt inquis: auferturne nobilitas? Non, regeres: quia naturale extingui non poteſt. Quamobrem lurida licet tua per vicos ambulet matrona, & virgis probe deſpoliatum oſtendat dorſum, crimine licet ſe conſpurcauerit turpem, carnificis lictorumque bacillos ſenſerit iſta, atque ab omnibus honeſtis hominibus remota, extorris, & contempta vagetur; tibi tamen, qui naturalem nobilitatem mente comprimis, & hanc conſtanter imaginem deperis, nobilis apparebit hæc mulier, ac genere inſignis; liberique, quos partu fundit, non minus erunt nobiles & generoſo ſanguine creti, atq; ſi virgæ in matris tergo non fuiſſent mortuæ iſtaque nec polluta ferulis, nec verberata a publico ſeruo loris. Sed ohe! iam ſat eſt. Linquimus iis, qui ſic argutantur, tam nobilem Glycerium, quam venerentur: ferat, non repugnamus, Lucina parturienti opem: tute propinquæ partui ac doloribus acriter agitatæ fideliter adſiſtas, ne conceptum in nobili vtero coagulum pereat, & lepidiſſimi emoriantur pulli, bene, tua opinione, ſati, bene, tuo iudicio, nati: nos ſubſiſtimus, nondum certi, ſintne tollendi hi catuli, & in claſſe ciuium primaria locandi? Homo, SANCHI, hominem parit, vt anſer anſerem gignit: at mulier omni ſplendore nobilitatis nudata non parit nobilem; quia nobilitas in ſplendore conſiſtit, quem ſi tollas, mulier illa erit quidem, ſed non amplius nobilis; citiusque Valerio Maximo fidem habebimus, equæ partu leporem editum narranti, quam tibi, qui omni fama, honore, ſplendore vacuefactæ nobilitatem nihilominus nobilemque fœtum tribuis.

§. XXXIX.

Digitized by Google

§. XXXIX.

Sed quid prodeſt hæc philoſophia, atque ementita & ſpuria diſtinctio, ſi dediſcenda ſit iterum in foro, in curia, ac rerum vſu? & quid tandem emolumenti perſentiſcent mulieres ex vmbratili & inepto hoc remedio, ſi nobiles appellantur, & fructu omni ac ſplendore nobilitatis interea priuentur ridicule. Sed ignoſcendum tamen eius generis auctoribus iudicaremus, ſi, quæ conſtituunt fundamenta, quæue ſectati ſunt principia, omni loco & tempore retinerent, nec variis repugnantiis in ſcriptis ſuis locum relinquerent. Ipſi enim fatentur, Viros Principes atque nobiles, quamuis & in eorum ſanguine σωματικῶς habitet nobilitas, non generare ſibi ſimiles, quando abiectæ feminæ affectionem coniugalem mancipant; ſed hoc tamen omnino fieri, ſi femina ſordida matrimonio ſuccumbat, & cum deſpecto homine liberis operam dare occipiat; cum interea idem pro viro argumentum militet, isque naturalem (quæ illorum eſt opinio) nobilitatem ex vtero ſecum ferat, adeoque, vsque dum regnum obtinebit Iupiter, ſeruare illam ac retinere itidem debeat. Quod quare non ſimili ſtatuant ratione, diuinando vix adſequetur acutiſſimus vates, nec ipſe forſitan maximus Apollo.

§. XL.

Ego vero haud difficulter intelligo, quid in errore eos confirmauerit, atque haud paullo reddiderit obſtinatiores. Viderunt enim in Germania quoque maternum non penitus negligi genus: quamlibet alieno loco, nec admodum diſtincte, Poetarum veterum teſtimonia ad cauſſam ſuam probandam excitauerint, & Seruatoris noſtri matrem huic negotio expediendo ſine neceſſitate immiſcuerint. De quo vt nonnulla in medium adferamus, non erit a ſcopo noſtro alienum.

§. XLI.

Atque verum est, Germanos non prorsus in censenda nobilitate maternam originem posthabuisse. Erat id vtique rationibus eorum congruens, qui pristinæ disciplinæ memores, nobiles inter & plebeios nulla nuptiarum commercia permiserunt: seuere semper cauentes, vt ne viliores supra fortunam animum gererent, illustres quærendo affinitates; aut meliores ad inferiora subsellia descendentes in contemptum adducerentur. Quo pacto ne fucus suis legibus fieret, sed omni modo incorrupta prosapia perseueraret, fecerunt constanter, vt maternos auos proauosque in æstimanda nobilitate numerarent, partim, vt ab omni latere splendida ostenderent stemmata sua, partim, vt veteris ordinis diligentissimos ac seuerissimos sese custodes ostentarent. Exinde vero nemo concludet sapienter, igitur matrem nobilitare solam, qui in genere probando etiam materni natales respici consueuissent. Qui enim sic subducit rationes, is sane admodum ignorat, propterea maiores nostros nobiles requisiuisse matres earumque habuisse in extollendo genere rationem, ne in excelso ætatem agentes sensim a constituta in legibus disciplina recederent, vinculis plebeiarum nuptiarum constricti; non autem vt matris, fortunatior conditio etiam maritis aliquid luminis afferret, aut sola hæc potis esset, dare natis clariorem ortum, etiamsi inaudita leuitate & imprudentia in hominis vilioris lectum sese præcipitasset. Cuius rei caussam genuinam obseruent velim contra nitentes, ne quod εὐταξίας caussa inualuit, in abusum vertant, & de matris generosa stirpe tam mirificos effectus edente otiose disputent.

§. XLII.

§. XLII.

Quamprimum etenim animus ab hoc maiorum nostrorum proposito auertitur, & ad confusa Iureconsultorum volumina ruitur, tum etiam varia vndique dicteria, seu brocardica eaque inepta audiuntur, inque primis: in coniuncto contineri simile; adeoque simile, hoc est, nobilitatis stirpem a matre, saltem pro dimidio, prouenire; cum tamen non sit inferendum hoc modo. Et namque nemo diffitetur, matrem requiri nobilitate flotentem, quæ sit vero illustris honestæque prosapiæ elocanda in matrimonium; non inde tamen consit, vt vel tantillum nobilitatis adportet in domum mariti, aut in liberos spargat sola, nisi & maritus nominare ac ciere auos proauosque nobilissimos queat: vnde dimidia, quæ a matre proficiscatur, nobilitas penitus concidit. Cui addendum forte, dimidiam nobilitatem non magis videri nobilitatem, atque dimidium consensum, pactum, vel contractum. Sed haud temere negatum est, matrem semissem nobilitatis efficere.

§. XLIII.

Vnde cum materni stemmatis maiores obseruamus iactari, ad splendorem nobilitatis ac commendationem virtutis, disciplinæ atque ordinis id pertinere putandum est: cum e contrario abiectæ conditionis mater, auia, proauia, atauia, maiorum inconcinnum prodat affectum, simulque ostendat, quam nihil hi pensi habuerint, leges veteris disciplinæ migrare, & intemperantiæ stimulis acti degenerauerint fere a primo ordine atque ortu sumendo in vxores ancillas, aut seruili conditioni proximas, quarum ex commercio & affinitate maculosa secundum hominum opinionem & legum arbitrium, procedens inde effecta sit posteritas. Quæ sola mihi sincera esse videtur

caussa, quare auctores præstantissimi in prædicando genere materno operam insumserint, vel insumere saltem debuissent. Ceteras enim in secundariis habendas, aut in primaria latere, haud temere aliquis forte dixerit. Est enim vtique prægloriosum, Regibus editum esse, vel etiam a latere materno solo regiæ familiæ inseri, quæ sane omnium est nobilissima. Ecquis enim est paullo prudentior, qui non coniiciat, in præstantissimis & fortissimis viris a tot ætatibus ac sæculis eius inueniri maiores, quibus iam olim illa contigerit felicitas, vt Regis appellarentur genere, aut familias eorum, qui regii genere, filii nepotesque fuerunt, affinitate complecterentur. Quæ ratio sine dubio fecit, vt Albericus Monachus Godefridum Bullionium, Hierosolymitanum Regem, antea Lotharingiæ Ducem, a Caroli M. stemmate per feminas genus ducentem inprimis laudaret, ac Lambertus Ardensis primos Guinenses Comites eidem regio generi insertos magnifice prædicaret: vt aliam sileam, quorum copiosum indicem contexuit Andreas Quercetanus. Vir doctissimus, in clari operis præfatione, quod *Historiam Genealogicam Domus Drocensis* appellauit.

§. XLIV.

Simili ratione Germanicarum rerum Scriptores id inprimis operam dederunt, vt, qui, vel a sola matre, magni Witekindi, aut etiam Ottonum genus attigissent, veluti meliori nota distinctos posteritati commendarent; quemadmodum vicissim eos etiam non parum extulere, de quorum genere præstantissimi Principes vxores sibi frequenter deligere consueuerunt. Ipse Calus IV. quum Fridericum V. Bnrggrauium Noribergensem Principum numero solenni ratione adscriberet, non sine laudis

præfatione meminit, iam pridem & a longis temporum interuallis illustrissimos Duces & Principes affinitate sese cum Burggrauiis deuinxisse: documento certo, hanc domum in longa laudis possessione fuisse, inque ea virtutem, pudorem, ac disciplinam tam multis ætatibus regnasse, vt in tenebris delitesceret nunquam.

§. XLV.

At prorsus se gereret insulse, qui, quamuis nobilis femina nuberet pistori, stapulario, cauponi, adfirmare sustineret, liberos eius nihilominus nobilitatis instrumenta, notas atque insignia tueri merito posse. Erroris namque fontem supra ostendimus; ac rationes ad defendendas has nænias conquisitas, ita, credo, disiecimus, vt nemo tueri hoc pacto caussam suam inposterum sit ausurus. Nunc vsum rerum eius generis Doctoribus opponimus; eosque publice prouocamus, vt vel indicent exempla, quæ ductam a sola matre nobilitatem confirment, & expectationi eruditorum satisfaciant, vel in obscuritate latere permittant indignos nobilitate pullos, vel, quod omnium consultissimum, recantent, ne tam insolita & publicæ reprehensioni obnoxia doctrina acerbius explodatur aliquando. Non enim iam in Gallorum Campania versamur, vbi ventrem tam inuidendum priuilegium beauit olim; aut Louanii vitam viuimus, vbi septem familiis id prærogatiuæ datum prodidit in LOVANIO suo Lipsius, vt cuicunque homini id genus filiæ nupserint, is statim eiusdem cum vxore dignationis efficiatur: quamuis Christinæus Lipsianæ narrationi non nihil dubii *in Iurisprudentia heroica* obuertat. In aliis vero teutoniæ terris ac prouinciis eiusmodi priuas leges non cognoscimus; sed vsum, consuetudinem, ac summorum tribunalium aucto-

rita-

ritatem sequimur, quæ abiectis nuptiis amitti nobilitatem vnanimibus suffragiis pronuntiant. Ne dicas, Doctores ac Romanas leges animum semper intendere atque hinc eius generis decisiones permanare. Statim enim reponimus, Germanos, vtut diuersis rationibus innixos, masculino sexui primas detulisse; & vxori arctiori, quam in Latio, nexu deuinctæ plane mariti nomen indidisse; quod non esse a Quiritibus factitatum supra in transitu indicauimus. Deinde nondum probarunt nobis repugnantes, quod confirmari ante omnia debuit, nempe, diuersum vnquam morem in Germania obtinuisse. Penitus enim inane est, perorare & debachari in pragmaticos, tanquam patriarum legum inscios; cum interea neque lex, neque consuetudo contraria, quæ ventri faueat nobilitanti, in perorantium scriptis vllo loco appareat. Ac præteriri denique non debet, ipsosmet, qui sic pragmaticos insectantur, corradere omnia, & leges Romanas hinc atque illinc coactas & consarcinatas parum feliciter applicare; ita vt vel similis culpa redarguat conquerentes, vel maior in eos incumbat, qui accusant, quam qui se defendunt.

§. XLVI.

Sed nos vero vetera patrum instituta & noua tam diu subsistere iudicamus; donec contrarium euidentioribus argumentis atque signis ostentatur: secuti Mollerum *, Carpzouium **, Noldenum ***, Mylerum †, Knipschildium ††, Cocceium †††, aliosque qui vtriusque fortunæ, puta, dignitatum & despectioris sortis socias etiam nobilis

* in Semestribus l. II. c. 8. ** part. III. const. 37. def. 1. & 2. *** de Nobilitate cap. XXII. n. 166. † in Gamologia cap. V. sect. II. p. 111. †† de Nobil. sagata & togata l. I. cap. XIII. n. 155. seq. ††† Iurisprud. publ. cap. XXVIII. §. vlt.

lis prosapiæ mulieres agnoscunt, non plus iis iuris transcribentes, quam plebeiis feminis; videlicet, quum descendunt ad asinos, & eminentioris gradus subsellium cum infimo commutant. Ita enim ius prouinciale Saxonicum articul. 45. lib. I. der Mann ist seines Weibes Vormund, ob er gleich ihr nicht ebenbürtig ist, und sie ist seine Genoßin, und trit in sein Recht, wann sie in sein Bett tritt. Vnde prorsus decisioni MXVIII. Cent. XI. illustris *Lynckeri* subscribimus, existimantis, ita ignobili viro nuptam e paterna familia excedere, nihil vt huic cum cognatis agnatisque amplius commercii intercedat, neque his cum illa eiusque marito atque liberis: vt auctorum aliorum præstantissima testimonia breuitati studentes omittamus. Nec dubium, quin feminæ, quando nuptias ineunt, e patris domo familiaque exeant, ac nobiles præcipue veluti alienæ stirpi insertæ censeantur olim a paterna hæreditate exclusæ, si denupsissent. Clare Specul. Sueu. c. 293. Ist, daß eine von zwo Töchtern nimt ein Mann, der ihr Genoß ist, und hat ihn ihr Vater Gut gelassen, das an Erd-Reich liegt, die andere nimt ein, der nicht ihr Genoß ist, das soll die Tochter einig und allein haben, die ihr Genoß genommen hat. Est hæc dispositio veteri Allemannorum legi admodum similis atque haud dubie inde decerpta. Res immobiles a censu liberas soli nobiles ingenuique habebant & accipiebant; res mobiles vero in omnium facultatibus esse poterant, siue nobilitate eminerent, siue minus. Vnde clarum, cur excluderentur filiæ suæ sortis oblitæ ab immobilium rerum successione. Vnum addimus, immo bina: primo non patrocinari aduersariis, quod in dicto iure prouinciali Saxonico sequitur: Nach des Mannes Tod ist sie loß von allen seinen Rechten und Ehren, denn

sie behält wieder ihren Stand und Recht, das sie angeboh-ren war, ehe sie den Mann nahm. Hoc enim potius de femina ignobili exponendum in priſtinam conditionem recidente; non autem de dignitate amiſſa & ſemel extincta recuperanda: quanquam excellentiſſimus Ludolphus in tractatu de *Iure feminorum illuſtrium* iam dudum bene animaduertit, nec prius, nec poſterius Germaniæ moribus, reſpectu dignitatum, obſeruari; atque de Werigeldo Saxonum Sermonem eſſe inprimis. Alterum, quod cum maxime perpendendum cenſeo, illud eſt: inauditum eſſe, feminas, etiam illuſtriſſimi ortus, quæ ita denupſerunt, vnquam & vsquam adeo omnem rationem eiuraſſe, vt exiſtimarent, ſe, quanquam piſtori & infimi gradus homini ſociatas, Comites & Principes generare, genuiſſeque (Hochgebohrne, Durchlauchtige Kinder.) Potius memoria tenemus & experimento ſcimus, non id eas ſibi arrogare, ſed admodum agere contentas, ſi ſuo relinquantur affectui. Vt illuſtris ſua cenſeatur ſoboles, nec ſperant, nec petunt, nec ipſæmet ſecundum patria inſtituta fieri poſſe credunt. Quod ſi quis eas iuris ſui dicat ignaras, ei auctor eſſem ſuaſorque, vt peculiarem hanc in rem tractatum, & patrio quidem ſermone, ederet, præfixaque ad has feminas eleganti dedicatione, ſua iis iura in memoriam reuocaret: quo facto, ſi non præmium ſat magnum & cupiditati ſuæ congruum venabitur; erit certe hoc monumentum laudis nunquam non ad poſteritatem commendandum, veſpillonum, piſtorum ac ſellulariorum filiis honorum titulos procuraſſe, eosque in claſſem ſpecioſarum perſonarum, communi licet ſuffragio eiectos, reſtituiſſe: obſtructo ceteris ore, qui non niſi vulgaribus doctrinis atque opinionibus delectantur, ſimulatque

que illuſtribus viris inſigni beneficio præſtito, vt, quos tanquam viles neglexere alioquin, nunc gentiles, cognatos, propinquos habeant accipiantque.

§. XLVII.

Nos, donec id fiat, quaſi e ſpecula proſpectantes, nihilominus confutando pergemus, inprimis quum & nothis ſpuriisque feminarum illuſtrium nobilitatem fidenter tribui videamus. Quod ſi eo loco viueremus, vbi nulla inter legitimos & ſpurios differentia eſt, Ægyptiorumque ac Turcarum mores in vſum apud nos irrepſiſſent; tum quidem maior honos ſpuriis foret tribuendus, quam tribuimus hactenus. At non ſolum in Germania docemus, vbi nemo, qui ſit extra legitimum matrimonium natus, ciuilem dignationem, aut æſtimationem conſequitur; verum etiam Chriſtianos inter degimus, vbi impollutum ius matrimonii requiritur, proque ſcorto habetur, quæcunque honeſtum vxoris nomen tueri non poteſt. Soli Germanorum Francorumque Reges hic aliquid præcipui tenent, qui, vt olim ob nobilitatem pluribus nuptis, Tacito teſte, ita etiam nunc ob nobilitatem pluribus ſæpe amicis ambiuntur: eſtque haud difficile ad diuinandum, quare magnorum Principum ac Regum liberi naturales, atque ab iis agniti, nunquam ſint ignobiles. Nam cum illi primus & originarius nobilitatis fons ſint, eorumque nutus atque vox ex nihilo aliquid e veſtigio efficere poſſit; quis auſit eorum nunc liberis ſcribere dicam, & nobilitatis inſignia penitus detrahere nothis? quanquam forte ratio, & ſacra philoſophia habeat, quod cupiditati effreni & laſciuientis ſæculi moribus * obiectet. Vnde iterum fal-

 luntur

* Quamdiu enim ob nobilitatem ambiuntur Principes ab iisque impudicitiæ ſperantur præmia, nec liberis inuerecun-

luntur, qui non nihil illustre regio latere in sanguine sibi persuadent: a quo errore nonnulli etiam Gallorum sese expedire nequeunt, qui ceteroquin omnem nobilitatem ab hominum opinione, legum arbitrio, ac more ciuitatis prudenter suspendunt. Ceterorum vero, qui simili cum auctoritate non regnant, tanta vt non est potestas atque pri-

do coitu genitis deest nobilitatis insigne; vix sane sperandum, vt luxuriæ efferuescentis in aula æstus certis finibus coerceatur; semperque mihi memorabile visum est, quod Paulus Iouius in *elogio Galeacii Sfortiæ* p. 243 litteris prodidit: *His artibus quum boni splendidissimique Principis nomen tueretur premebant eius famam intemperantes, vagaque libidines. Nam ea tum erat ex multo otio luxuriantis seculi conditio, in ipsis præcipue nobilioris matronis, vt totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienum prorsus & subagreste putaretur, ideoque princeps ad licentiam libidinis proclinatus, & iuuenta vigore venustateque oris supra omnes spectatu dignissimus, procacibus feminarum oculis & desideriis cupidissime deseruiret. Erat enim tum vulgatum inter feminos, nullam ex principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos, qui inepti hirci videri possent, ita excellere aureis cornibus, vt dignitate cunctos anteirent.* Quæ cum legisset Petrus Bælius in *Lexico Crit. art.* LAMPONIANO non tantum valde indoluit, sed, vti vides, sequentia addidit: *Voilà sans doute le souverain degré de la corruption; car si quelque chose empêche, que la chasteté ne soit banie du monde, c'est que l'on atache à l'égard de femmes une idée de des honneur au vice opposé. C'est la principale barriere dont la providence de Dieu s'est servie, pour arrêter un peu les progrés de l'impurete, & les empêcher d'inonder tout le genre humain, à la maniere des eaux du deluge, qui n'épargnerent que tres-peu de gens.*

Digitized by Google

primitiua nobilitas; ita etiam eorum liberis naturalibus talis honoris apex tribui nequit, Gallorum prouerbium est: Regem semper generare Principem; ceteros, quibus honesti coniugii nomen deest, homines viles: nisi forte vel lex antecedens, vel consuetudo, vel legitimatio subsequens reliquorum hominum nobilium fœtibus auxilio veniat. Et scimus, quid in Gallia nuperrime disputatum fuerit, atque etiam nunc occasione Principum legitimatorum generatim hac de re disceptetur.

§. XLVIII.

Quæ lis ne cui prorsus peregrina & a ratione absona videatur, is cogitet, non esse iniquum, maiori eos honore affici, qui secundum patriæ leges, atque ex ordinata affectione sunt geniti, quam quos vel stuprum, vel inhonesta consuetudo, quæ nominari non potest, in lucem propulit. Etsi enim nobilitatis filum ad posteros producitur, & de auo in patrem, de hoc in filium filiamue, & sic porro protenditur; est tamen cognitum, fieri id semper debere interueniente sanctioris matrimonii fœdere. Quare iterato monendum existimo, nec summorum etiam principum liberos naturales a matre rubentes nobiles esse; sed dum demum, quum agnoscuntur, & publice e regio sanguine vtcunque descendentes declarantur, regni, seu regionis more pro nobilibus haberi. Quod si igitur dissentientes feminas terra marique potentes simili auctoritate, atque Principes mares pollere statuerent, forte tolerabilis eorum opinio foret; inprimis, si ita circumscriberent illam, vti nos adsertum de Regum magnorumque Principum nothis circumscripsimus: at cum feminis potestate summa non præditis, vtut illustri honestaque origine, tam insolitam licentiam largiuntur, vt, siue vagis libidinibus in-

dulgeant, siue coniugali affectu ament, generentque, nihilominus ex se natis decus nobilitatis largiantur, intolerabiliter sane falsi sunt. Mera enim repugnantia est: instituta ciuitatis, omniaque etiam diplomata, quibus talis prærogatiua indulgetur, volunt, vt hæc liberis ex iusto matrimonio susceptis solum competat; & tamen femina nobilis, cum propagine sua nobilitatis tesseram communicet; vtut ea contra patriæ morem, ac legum statuta ex vago conceptu vtcunque liberos enixa est suos. Noli confugias ad naturalem nobilitatem tertio, ne necessitas imponatur nobis, tertium de dandi depexum, tuque sine nostra culpa sibilis tandem madefias. Repugnant enim tibi, quocunque oculos conuertas, omnia. Non est apud nos ius Amazonicum receptum, neque etiam intra patriæ nostræ fines Amazonum habitat progenies; quæ tam splendido ornata sit priuilegio, vt, ex quocunque satu vterum gerant, Amazonem eiiciant armis idoneam, & bellicis laboribus parem. Germani veteres, vtut gentilium superstitioni adhuc dediti, matrimoniis inprimis fauebant: quod supra Taciti testimonio confirmauimus. Et cum vero, cum Christo nomen darent, in hac disciplina multo sunt facti confirmatiores: cui cum accederent Canones, & Pontificum decreta summo spurios odio prosequentia, patriisque legibus tandem coniungerentur; ita sane iis via ad laudem & decus est præclusa, vt, nisi peculiari priuilegio impedimentum tollatur, etiam prærogatiuo ordine æternum sint carituri; maxime, quando femina natalibus splendida abiecto sese homini mala sua cupiditate miscet. Prorsus enim incongruum foret, adseuerare, vtcunque genitos matris illustris, simulatque conceptu plebeio ortos nobilitatis munere decorari; cum ostensum

antea

Digitized by Google

antea, ſobolem tam imparibus nuptiis ſuſceptam in vilibus vltimiq; ſubſellii iri locatum perſonis. Quicunque hic paulo pertinacius obloquuntur, ii officioſiſſime a nobis rogantur, vt, ſi de doctrina ſua certi, exempla in medium ferant, ne imaginaria habeantur omnia, quæ proferunt, ac perituræ chartæ illinunt. Saltem magnam opinioni noſtræ veriſimilitudinem conciliant feudalia inſtituta, quæ ab omni ſucceſſione nothos ſpuriosque remouent: vt dignitates omittam & regni præcipua munera, a quibus tam vagæ gallinæ filii certiſſime arcentur.

§. XLIX.

Quamobrem plane perſuaſum habeo, etiam in feudo feminino, hæreditarioque id genus ſpurios ſuccedere non poſſe; cum in omnium inueſtiturarum formulis nunquam non præponatur atque indicetur, ſucceſſuros duntaxat, qui ſecundum patriæ honeſtos mores ſint geniti, ceteros flocci fieri, & a tam nobili ſocietate merito depelli. Quis autem dubitet, adhærere huiusmodi liberis nonnihil maculæ, quæ regnantium auctoritate prius auerruncanda & delenda, donec ad ciuilia emolumenta aditus iis denuo patefiat. Cui argumento vix obeſt, non videri puniendos, qui nihil commeruere, liberos. Quis enim punit? Quis eis adimit tantillum? Quæritur, num aliquid acceperint a matre propudioſe viuente: vtpote cui a primis gentilitiæ nobilitatis litteris, aut, ſi ſit indigenitalis ortus, aliud nihil permiſſum cenſeri debet, quam vt more nobilium & ſecundum legem in ciuitate ſtabilitam generis ſui propagationi operam det. At hic vero non eſt eminentium viraginum mos honeſtus, aut ciuitatis noſtræ iuſta conſuetudo; ſe vt ſubſternant veredariis, aut in tabernas ſeruorum ſeſe inſinuent leues, aut per varia

regna

regna prouinciasque ambulantes, veluti Sabiorum Regina, ſubolem anhelent: potius præcipuum illarum decus videtur, mitigatam ſecundum pudorem ſectari vitæ rationem ac malle nubere quam ſcortari, malle ſe continere, quam naturæ luxurianti frena laxare. Vnde factum haud dubie, vt, illuſtriſſimarum, licet, feminarum, ſpurii in monaſteriis reconderentur, ne tam inſolitæ rei memoria ſæpius & omni loco refricaretur. Minimum Rotrudis, Carolo M. natæ filium naturalem Ludouicum in monaſterium S. Dionyſii detruſum Annales Bertiniani teſtantur. Addunt alii, inter Sueuos Gothosque vix licuiſſe nothis inter honeſtos verſari. Ioannem Magnum *in hiſtor. ſeptentrionali* hoc prodentem nominarem, niſi ſuſpectæ fidei teſtis in aliis foret. Id interea apud Saluianum de *Gubernat. Dei lib. VII. n. 239.* occurrit, Gothorum gentem eſſe *pudicam*, Saxones *caſtitate mirandos*. Quare non abſimile veri, quod adſtruit *Magnus*. Quid autem imperatoriis codicillis fieri queat, factumque forte ſit aliquando, nunc non disquiritur. Tantum in transcurſu obſeruamus, valde illos decipi, qui etiam nobilium maſculorum liberos nulla matrimonii lege procreatos hodienum in Gallia exiſtimari nobiles tradunt. Aliud docet ſupra laudatus Ioannes Bacquetius, item Pariſienſis Senatus Aduocatus Franciſcus de Maſoniis *(des Maiſons)* libro, quem præſcripſit: *des ayde toilles, gabelles cap. XIII. p. 451.* idque absque regiis litteris ſolennique legitimationis carmine fieri poſſe perſpicue negant. Ac ne quis Germanos noſtros nihil penſi habuiſſe exiſtimet, ſintne Viri fœminæque illuſtres naturalium liberorum in numero, aut etiam ab iis orti, de ſecundis Maximiliani I. nuptiis aliquid obſeruabo, forte non inutile, nec ſcopo noſtro difforme. Eſt enim cognitum,

tum, post Mariæ Burgundionum Principis excessum, præreptamque a Carolo Franco Annam Britannicam, Imperatorem in matrimonium sibi delegisse Blancam Mariam Sfortiis oriundam, quorum stirps non solum erat nouis admodum coloribus cincta atque allio proxima; verum etiam impura genitura paullulum deformis. Quare euenit, vt vehementer hoc Electoribus connubium displiceret, historiarumque actoribus ansam daret, reprehendendi Maximiliani præceps consilium, atque auri argentique cupiditatem prope immodicam. Præter ea, quæ e Guicciardino, Belcario, Dattio, peti possunt, Petri Bælii * ea de re, posteaquam de præcepta Imperatori Britanniæ minoris Principe verba fecit, iudicium audiamus: *On se consula du coté de l'Empereur. Ce fut à la verité vne* MESALLIANCE, *car Maximilien se maria auec Blanche Marie Sforze dont le sang n'etoit point encore épuré de la souillure d'origin' vû qu'elle étoit petite fille du un batard & d'une batarde, mais elle aporta beaucoup d'argent dont son époux se fit un tres-grand plair.*

§. L.

Quam vellem vero, vt, quum de materna disceptatur nobilitate, Christi mater non esset ab Hœpingio aliisque in exemplum producta, vtpote cuius stemma in Christi genealogia consignanda non solum non sit omissum; sed tanquam nominatissimum ab omni latere expositum diductumque. Quid enim vtilitatis afferet hoc exemplum contradicentium caussæ, ad probandum, in Germania nobilitare ventrem? tametsi Christus, interueniente Maria, præclarissima nobilitatis ornamenta accepisset. Saltem hoc est conuertere cuncta, vt indigestus & rudis

L tandem

* Reponse aux questions d'un prouincial. Tom.III. p. 611.

tandem aceruus fiat. Poſſem enim leui demonſtrare opera, neque Matthæum, neque Lucam epochas maternæ generationis retuliſſe, ſed Ioſephi patris: eſtque hac de re copioſa inter Theologos diſceptatio, quare id factum, quum Chriſtus non eſſet Ioſephi filius proprie, ſed Mariæ. Deinde, etſi verum foret, (cum tamen ſit perſpicue falſum) Euangeliſtas recenſuiſſe ſolum maternum Seruatoris genus, vtpote patrem non habentis; quid prodeſſet, quæſo, hoc argumentum de matris facultate nobilitandi differentibus, vbi eſt pater, isque certus? Poſtremo non puto quemquam tam futurum ſui oblitum, vt nobilitatis Iudaicæ gradus ad Romani Germanicique generis præſtantiam ſit exacturus. Ipſe Matthæus omnes Iſraelitas Chriſti fratres appellat: nec tam abiectæ conditionis erat quisquam, qui non contingeret propinquitate Ioſephum & Chriſti matrem Mariam. Quocirca nonnulli animum induxerunt, Iſraelitas omnium videri nobiliſſimos; vtpote quibus ſua fuiſſent ſtemmata admodum nota, tribus, patrimonia exacte deſcripta; quique haberent ſimul maiores omnium excellentiſſimos. At ego vero exiſtimo, perperam plane Iudæos inter ſtirpe nobiles recenſeri, vbi omnes pari nobilitate cenſentur. Sicuti enim rectum non eſt, niſi, vbi aliquid declinet a recto degeneretque in curuum; ita nobile non intelligitur, vbi nihil ignobile. Quod eam potiſſimum ob cauſſam in medium fero, vt appareat, quam ſit inane vocare nobilitatem Iudaicam in auxilium ad malam cauſſam ac theſin omni tigno fulciendam, nempe vt mater apud Germanos ſuis impertire nobilitatis decora credatur; quia Chriſtus a Maria genus traxiſſet ſuum. Perbelle! Poſſem, ſi vellem, paullo ſpecioſius cum iis argumentum communica-

nica-

Digitized by Google

nicare, nisi timerem, eos magis iri redditum obstinatos, simulatque turgidos. Sed proferam tamen. Est quippe cognitum, superesse in litteris Sacris exempla genealogiarum, quorum ordo ex mulieribus texebatur. Erat, vt vnum suppeditem, stemma Ioabi de matre, fratrumque Ioabi. *Sorores*, ita legimus 1 Paralip. cap.II. v.16. filiorum *Isai*, qui Davidi pater erat, *Tseruia & Abigail*, *filia autem Tseruia Abisai, Ioab & Hasael tres*, *Abigail vero peperit Amasum*. Quem locum, si resciuissent, hem! quam isti fuissent exsultaturi, opinioni suæ tam firmum inde præsidium circumponi. Verum tamen in aurem dico sic exsultantibus, nihil ab hoc exemplo roboris accersere sapientiores. Hebræi quippe omni gentilitio & hæreditario nomine destituebantur; adeoque frustra sunt, qui nomen voluisse eos illustrius venari a matre opinantur. Rectius sentiunt, qui eam ob caussam feminas aliquando in genealogiarum tabulis esse memoratas coniiciunt: quod nemini licebat, ex præcepto Dei, transferre possessionem & dominium fundi sui in hominem, alterius gentis & tribus; immo etiam virgines, quæ fratres non habebant, adeoque ἐπίκληροι erant, omnino debebant nubere Viro paternæ suæ gentis. Ad quod accedunt frequentes Iudæorum δοξολογίαι gloriantium in numero filiorum filiarumque: Adferunt enim laudem liberi parentibus: quod huic loco inprimis conuenit, quando Esras, qui forte παραλιπομένων est auctor, Isai gentem tam copiosa recensione prosequitur; non, vt Ioabus reddatur speciosior ac nobilior; sed vt Isai Dauidis pater ob tam numerosam prolem fiat nominatior. Cui rei intelligendæ inseruit Iesaiæ cap. LVI. 5. Ex quo liquet, veritati admodum consonare, quod obseruat Ioannes Seldenus *de Successionibus ad leges*

Hebraeorum cap. III. Iureconsultus *Ebraeorum mores, siue sacras de successione ac natiuitate leges interdum aut oscitanter nimis, aut nimis inscienter tangere.*

§. LI.

Atque hactenus generatim examinauimus, quæ ad quæstionem de ventre nobilitante pertinent, ostendendo, amitti a nobili femina primitiuam dignationem, si dissonos iungat nexus. Sed quid est vero hoc? An Regis filia conditionem suam imminuit, si Principi? Princeps femina si Comiti? Comes si nubat Baroni? aut denique Equiti? Ad quod distincte respondendum: vtut breuibus, ducti testimonio Adami Bremensis, quod excitauimus supra.

§. LII.

Nobilis, statuebant Saxones, nobili iungatur, libera libero. Qui cum essent gemini in Germania ordinis prærogatiui; ideoque vsu venit, vt, quæ de primo ordine non denubebant, natiuam dignitatem ac præcellentiam sine controuersia retinerent. Etsi enim magnopere differre videtur Regium δεῖγμα a Ducis, Marchionis a Principis nomine; atque hoc iterum a Comitis atque Baronis appellatione; tamen discrimen non tam in ordine, quam muneribus obseruatur: quippe ordinis respectu omnes in æquo stabant. Cui non repugnant, qui Principes præstantia vincere Comites aiunt. Semper enim animum induxi, Principes nihilominus referri debere ad Dominorum ordinem, neque eos magis videri Dominos, atque Comites. Explicatius id signabo, vt me intelligant. Omnis Princeps erat Dominus, non autem omnis Dominus Princeps. Qui hoc ornabatur elogio, vel Marchionis, vel Ducis munere eminebat conuestitus, adeoque

Digitized by Google

eoque præerat cum auctoritate pluribus. Quocirca noua appellationis cauſſa in imperio quærenda maiori. Voces Fürſt, fürſtehen regimen paullo latius indicant. Cuius rei veritas inde potiſſimum confirmatur, quod Comes, Marchio effectus, vel Dux creatus, eo ipſo erat Princeps, quando eminentior in munere atque imperio cumulabatur? quamuis Imperatoriis in litteris nihil eſſet de principali nomine ac dignitate dictum. Quibus hic dubiolum ſubnaſcitur, illi cogitent, non tam nouum ordinem conſtituiſſe Principes, quam hoc nomen, propter imperii amplitudinem, cum altiori munere ſpeciatim tributo coaluiſſe. Amplitudo imperii vero index potius eſt muneris auguſtioris, quam claſſis nouæ atque ordinis diſtincti. Cape ſimile. Qui apud nos a magnis Principibus ac Regibus in numerum adminiſtrorum ſtatus cooptantur, illi ſtatim, ac ſine peculiari deſignatione, aut ſingulari huius rei mentione, *excellentiæ* titulum conſequuntur; ac nemo interea eſt, qui exiſtimet, in ſuperiorem nobilitatis Germanicæ claſſem eos transferri, qui tali elogio ornantur. Tota difficultas, quæ nos in ambiguo conſtituit, inde eſt, quod ſæculo XII. quidam vocati ſunt Principes, qui nec eſſent Duces, nec Marchiones, nec Burggrauii, nec Landgrauii principes. Sed hoc nouum eſt; pertinetque potius ad caput προεδρίας, quam cauſſam altioris ordinis. Hinc eſt, quod talis antecedat omnes Comites; etſi non mutat ordinem, ſed eſt, manetque Dominus, ac forte Comes, quo nomine cluebat, antequam id nominis atque prærogatiuæ ei adiiceretur. Ne vnquam titubes, reſpice, precor. Archiduces, & magnos Duces. Quid eſt Archidux? Eſtne hoc nouum officium, aut nouus ordo? Non credo. Archiprinceps vnus

de primis principibus eſt; ſicuti Archidux & Dux magnus de primis Ducibus ſunt, aut inter Duces primi. Quamobrem primum nouitatis ac rei veteribus incognitæ argumentum inde putem deriuandum, quod nollent Ducum ac Marchionum filii comitum amplius elogio mactari, nec Imperatoribus nati ducum titulis viuere contenti. More ſic ſemel probato, varii etiam Principes comites innotuerunt perſonalibus Principum beneficiis fruentes. Interea perſuadeas tibi, precor, non deeſſe nobis documenta rem omnem in clariſſima luce conſtitura, ſi propoſitum nobis foret, excurrere paullo longius.

§. LIII.

Iam enim affatim prorſus eſt ad probandum, quod cupimus. Manet Regis filia, itemque nobiliſſima, qua in manus Ducis, Principis, Comitis conuenit. Non reperitur in veterum annalibus, ſtatus quæſtionem iis eſſe motam vnquam, quæ Comitum non detrectarunt thalamos. Nec dici ſine inuidia poteſt, eas nobilitatem commaculare ſuam, quæ de primo nobilitatis ordine non enubunt. Non eſt nunc, neque fuit vnquam tantum inter Comitem, Marchionem & Ducem interuallum, quantum apud Romanos Senatorem inter & Equitem. Quare minime miror, retinere etiam nunc Principes feminas faſtigii ſui vocabula, etiamſi in Comitis torum adſumantur. Quod quum pro more, hoc eſt, ſolidiſſime variis argumentis & exemplis confirmauerit Vir ſummus G. M. Ludolphus de *Iuribus feminarum illuſtrium*, ſuperſedemus adferre plura. Id adtingimus ſtrictim, iniuriam facere eruditiſſimo Auctori, qui ita eius doctrinas ad cauſſam ſuam accommodant, ac ſi is ſtatueret, ſeruare

Digitized by Google

uare priſtinas inſcriptiones præluſtrem mulierem, quamuis ea in caſam plebeii hominis deſcenderet. Eſt hæc affirmatio ex vano ac ψευδέγγραφος. Neque enim is ſplendorem nobilitatis relinquit feminæ ad priuatos diuertenti, vtpote quæ ipſa ſeſe albo illuſtrium eradit & in peregrinitatem quaſi redigit, quum tam peregrino & inſolenti amore occæcatur.

§. LIV.

Aliud vero eſt, & ab anteeunte quæſtione haud parum diſtans, ſintne huic ſalua atque integra primæ dignitatis elogia, quæ cum equite connubiale fœdus ineat, atque e palatio in rus prætoriumque villæ deſcendat? ac facile eſt iudicatu, imminui quodammodo claritatem. Quomodo enim cunque equitis perſonam conditionemque circumſpicias, non erit is ſane cum viro illuſtri & antiquitus inter nobiles relato eiusdem ordinis. Atque hinc eſt, quod etiam Principes equeſtris generis feminam in thalamum ſuſcipientes de altioris dignitatis gradu iis acquirendo ſolliciti fuerunt, ne quis liberis e tali coniugio ortis impoſterum moleſtus fieret, negotiumque faceſſens vel ſpem ſucceſſionis dubiam redderet, vel ab illa, pro temporum motu, plane deiiceret. Penitus enim diſſimilia ſunt, non prohiberi talia coniugia, atque interdum ſuſtineri, & *Cæſaris auctoritate* liberis primaria Principum iura firmari; & per ſe illa atque hoc ſine tibicine conſiſtere. Exempla vti ſunt obuia; ita nunc, vbi aliud eſt propoſitum nobis, non conquirimus: monentes de cetero, ne quis equeſtres mulieres in ancillarum tabernas temere detrudat; neue inprimis Henrici illuſtris Marchionis Miſniæ poſtremam vxorem Maltitiorum ſtirpe præclara genitam mancipiis

cipiis ac concubinis ſine auctore, ſine teſte, ſine litteris adſociet. Errantes hoc loco non absque lumine dimittet W. E. Tenzelius in *ſupplementis hiſtoriæ Gothanæ*.

§. LV.

Nos colophonem noſtro labori imponentes vltimo quærimus, ſuæ ne fortunæ damnum faciant inferioris nobilitatis mulieres quando Doctori, aut alii viro honeſto & munerum in dignitate conſtituto aut noua nobilitate donato, in matrimonium dantur? Quod ſi feminæ in aulis viuentes audiendæ forent, non eſt ſane dubitandum, quin omni prece imploraturæ eſſent Iureconſultos, ne ad choreas venire ſuas permitterent id genus vxores: adeo illæ doctos, &, qui non ſunt ex equeſtri tribu, faſtidiunt. Sed non puto, victoriam iis ceſſuram, poſteaquam imperii leges ſanxerunt diuerſum, & viri præſtantiſſimi multis argumentis docuerunt, non omnes, qui de nobili radice non germinarunt, pertinere hodierno vſu ad vulgi fæcem; multo minus, quos munerum ornat decus, aut imperiales codicilli, ob bene merita & propriam virtutem, ad altiorem gradum prouexerunt. Quis autem mereatur, atque virtute ſit præditus, non eſt ſingularium hominum decidere. Plenius hæc ſunt ab Ludolpho, atque illuſtri Cocceio, quos iterato non ſine honoris teſtificatione nominamus, alibi excuſſa. Nos enim manum de tabula ſubtrahimus, &, quod tam breui ſcripto expedire pro dignitate, & rei vtilitate non potuimus, alii loco temporique reſeruamus.



A 1114760 60

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google